

ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**


XXXIV.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters.



Leipzig.
O. R. Reisland.
1900.

SEQUENTIAE INEDITAE.

Liturgische Prosen

des

Mittelalters

aus

Handschriften und Wiegendrucken.

Vierte Folge

herausgegeben

von

Clemens Blume

S. J.



Leipzig.

O. R. Reisland.

1900.

VORWORT.

Der Titel des vorliegenden XXXIV. Bandes der Analecta kennzeichnet denselben als Fortsetzung der Bände VIII bis X, welche die Publication unedierter liturgischer Prosen eröffneten. Schon der VII. Band hatte an Sequenzen durchweg nur Inedita gebracht; dieselben stammten aber alle aus der Abtei St. Martial zu Limoges, und um jene Sammlung zu einem vollständigen Prosarium Lemovicense zu gestalten, war ein Bruchteil schon anderswo publizierter Sequenzen mit aufgenommen. In den sich unmittelbar daran anschließenden 3 ersten Folgen der „Sequentiae Ineditae“ erwies sich das Einteilungsprincip nach der Provenienz als weniger zweckentsprechend, und wurden die Sequenzen nach rein sachlichen Gesichtspunkten geordnet; so bildet ein jeder der 3 Bände VIII bis X mit den liturgisch gebräuchlichen Gruppen De Tempore, De Beata, De Sanctis nebst dem Commune Sanctorum ein für sich abgeschlossenes Ganze. Letzterer Einteilungsgrund ist für die vorliegende 4. Folge der Sequenzen beibehalten und wird auch für die weiteren Folgen maßgebend bleiben.

Dadurch war indessen nicht ausgeschlossen, daß mehrere liturgische Quellenwerke für diesen Band in der Weise Ausnützung fanden, daß alle in denselben befindlichen Sequenzen, sofern sie unediert waren, und die sich größtenteils eben nur in der betreffenden Quelle vorfanden, unter die eben bezeichneten Gruppen dieses Bandes vollzählig eingereiht wurden, und somit auch die Provenienz der Sequenzen bei der Zusammenstellung in etwa zur Geltung kam. Von diesen Quellenwerken verdienen besondere Beachtung das wohl als Unicum dastehende Missale Petragoricense, gedruckt zu Périgueux 1525, und der durch Alter und Inhalt höchst kostbare Codex Bambergensis Ed V 9. Letzterer ist ein ziemlich reichhaltiges Tropar

von Reichenau, bestehend aus 198 Pergamentblättern von 14,3×19,5 cm, und stammt aus dem 10. Jahrhundert. Dafs die ehemalige berühmte Benedictinerabtei auf der Bodensee-Insel die Ursprungsstätte sei, bezeugen mit Sicherheit das Kalendarium und der Inhalt mehrerer Sequenzen. Schon frühzeitig hatte jene Abtei ganz bedeutende Reliquien der hll. Marcus, Ianuarius, Iohannes und Paulus u. a. erworben. Eben diese Heiligen sind insgesamt durch besondere Sequenzen gerade in dem fraglichen Troparium gefeiert. In der Sequenz „Gaudeant cuncti“ auf den hl. Marcus heifst es ausdrücklich: „Laetetur istis maxime Augia sollemniis, quae sanctum suo evangelistam meruit sinu Marcum fovere.“ In einer anderen Sequenz „Sancti martyris festum“ auf den gleichen Heiligen werden die „Augienses servuli“ erwähnt. Die Georg-Sequenz „Laudes Domino“ schlofs mit der Bitte: „Augiensibus incolis veniam precare apud Deum“; spätere Hand, als die Sequenz auch in anderen Kirchen Verwendung fand, stellte dafür „Babenbergensibus“ oder allgemein „Paenitentibus“ ein.

Das Alter der Handschrift ist durch die Schriftzeichen, welche dem 10. Jahrhundert eigen sind, hinlänglich verbürgt. Dazu kommt, dafs es in der Invocatio auf fol. 46a heifst: „Ottoni, serenissimo imperatori, a Deo coronato, magno et pacifico, vita et victoria.“ Wäre auch der Name der Kaiserin erwähnt, so liefse sich genauer bestimmen, welcher der Ottonen gemeint ist. Leider heifst es aber von der Kaiserin ganz allgemein: „Illi [= N. N.] imperatrici salus et vita.“ Läfst sich daraus folgern, dafs zur Abfassungszeit des Codex das deutsche Reich keine Kaiserin besafs? Das würde nur für die kurze Regierungszeit Ottos III., die bekanntlich bis in den Anfang des 11. Jahrhunderts hinübergreift, Geltung haben; freilich war auch Otto I. nach dem Tode Edithas (946) bis zum Jahre 951 ohne Gemahlin, aber während dieser Zeit führte er noch nicht den Titel „imperator“. Vielleicht aber hat der Schreiber den Namen der Kaiserin einzutragen einfach vergessen, wie es ja auch beim Papste allgemein heifst: „Summo pontifici et universali papae vita.“ Jedenfalls steht nach allem fest, dafs unser kostbares Troparium in der Zeit 965 bis gegen Ende des 10. Jahrhunderts in Reichenau geschrieben ist.

Der Sequenzenbestand desselben beläuft sich auf 98 Nummern, von deren Mitteilung an dieser Stelle füglich Abstand zu nehmen

ist. Von denselben sind 22 Inedita, welche alle im vorliegenden Bande publiziert werden. Leider ist eine weitere Sequenz im Codex (fol. 197) verstümmelt eingetragen; dieselbe lautet:

1. Sancta trinitas,
nostram vocem tempera,

2 a. Ut digne modulemur
martyrum trium proelia,

2 b. Et mentis passioni
linguae concordent organa.

3 a. Ordine suo
cum disponis omnia,

3 b. Facile cedit
tibi vocum regula.

4 a. Tu muto patri
reddidisti
nata prole famina.

Die breit angelegte Einleitung läfst eine längere Prose erwarten; wir erhalten nicht einmal eine Andeutung, welche drei Märtyrer gemeint sein dürften. Auf fol. 53 b werden drei Heilige gemeinsam gefeiert: „Natale sanctorum Hermetis, Augustini et Pelagii" (letzterer Patron der Constanzer Diöcese); aber das sind nicht drei Märtyrer.

Noch ein Wort über den Utrechter Codex Script. eccl. 375. Obgleich vorwiegend ein Orationale, enthält er eine ziemliche Reihe von Sequenzen, was der Umstand beweist, dafs mehrere der dort verzeichneten Dichtungen thatsächlich in Missalien als Sequenzen sich vorfinden. Bei einigen, weil nur in dieser einen Quelle nachweisbar, liefs sich blofs mit Wahrscheinlichkeit der Sequenzencharakter feststellen; vielleicht gehört die eine oder andere Nummer ins Gebiet der Reimgebete. — Bei manchen Sequenzen ist namentlich der Anfang in dieser Handschrift stark verändert; so z. B. heifst es dort „Salve veri luminis" statt „Ave novi luminis"; „Vale gaude hymnizantes cum omni laetitia" statt „Iubilemus collaudantes cum omni laetitia"; „Ave stella mellis stilla" statt „Mellis stilla maris stella" u. s. w. Da war es nicht leicht festzustellen, ob nicht mit anderem Anfang dieselbe Sequenz schon anderswo sich vorfinde. Trotz aller Sorgfalt mag so die eine oder andere Sequenz unter falscher Flagge durchgeschlüpft sein, welcher das Prädikat „inedita" nicht gebührt; die Zahl aber wird sehr gering sein.

Zum Schlusse erübrigt noch eine kurze Erklärung, warum der 3. Folge der Sequenzen erst jetzt nach einem Zeitraume von fast 10 Jahren die 4. Folge sich anschliefst. Schon im Vorworte der 3. Folge (Bd. XI) wurde bemerkt, dafs der Vorrat

ungedruckter Sequenzen noch keineswegs erschöpft sei, eine Unterbrechung aber eintreten solle, „um das Resultat einiger paralleler in nächster Zeit bevorstehender Veröffentlichungen abzuwarten“. Ein groſs angelegtes, viel versprechendes Werk unter dem Titel „Analecta liturgica“ war nämlich im Erscheinen begriffen. Im Vorwort zum 1. Fascikel (Juni 1888) versicherten die Herausgeber: „Nous avons dans nos cartons plusieurs milliers de proses, d'hymnes, de pièces liturgiques inédites, collationnées sur les manuscrits et les incunables de toutes les bibliothèques de l'Europe..... Nous avons le désir de pouvoir, dans une dizaine d'années, donner un Corpus hymnologicum aussi complet, aussi correct que possible.“ Der Anfang der Publikation war mit den Sequenzen gemacht worden, und zunächst auf diesem Felde sollte den Herausgebern der Vortritt gewahrt bleiben. Das „dizaine d'années“ ist längst abgelaufen, aber statt des kompletten Corpus Hymnologicum liegt leider noch nicht einmal das erste der „plusieurs milliers“ vollständig vor: statt eine jährliche Ausgabe von „at least 400 pages“, wie versprochen wurde, begrüſsen zu können, haben wir bis jetzt nur eine Kalendarien-Sammlung von 352 Seiten und eine Collectio von 861 Sequenzen in Händen. Es wird nun wohl niemand leugnen, daſs die Rücksichtnahme, welche einen Vorsprung von 10 Jahren gewährt, eine bei Publikationen nicht gerade gewöhnliche ist, und so dürfte es uns schwerlich jemand verargen, wenn die Ausgabe unserer Sequenzen nunmehr fortgesetzt wird, und den bereits edierten 1400 Sequenzen zunächst weitere 360 nachfolgen. Der Titel „Sequentiae Ineditae“ müſste freilich infolge der Misset-Weale'schen Publikationen streng genommen in „Sequentiae maximam partem ineditae“ umgeändert werden. Aber der Titel lautet nun einmal so bei den 3 ersten Folgen; schon die Gleichmäſsigkeit spricht gegen die Umänderung des Titels bei der 4. und den nächsten Folgen. Das um so mehr, da auch Misset-Weale den Begriff „Inedita“ relativ fassen. Wir adoptieren voll und ganz die auf dem Titelblatt der Analecta Liturgica gegebene Umschreibung und bezeichnen als Inedita: „Quae apud Daniel, Mone, Neale, Gautier, Schubiger, Wackernagel, Morel, et [sic] Kehrein non reperiuntur.“

Wien, den 19. September 1899.

Clemens Blume.

I.

DE TEMPORE.

1. In Nativitate Domini.

1. Quem

2 a. aethera
et terra
atque mare
non praevalent
totum capere,

2 b. Asinae
praesaepe
infans implet,
caelos regens,
ubera sugens.

3 a. Factor matris
factus hodie est
de matre,

3 b. Creans diem
hodie creatus
in die.

4 a. Nascitur mundo oriens,
Gabriel

4 b. Quem vocavit Emanuel,
Nobiscum

5. Deus.

Trop. ms. Sangallense saec. 11. Cod. Sangallen. 381. — Melodie: Et veritate. — Vgl. Roman. Forsch. IV, 494.

2. In Nativitate Domini.

1 a. De sinu patris verbum emicuit,
Verus Emanuel,
Qui Adam exsulem reposuit
Sede patria
Reddens propria.

1 b. Per prophetas olim nos edocuit
Sicut per Samuel,
Nunc autem relevatos eruit
A miseria
Sola gratia.

2 a. Facit Deus,
Per quod reus
Est salvatus;
Vir Hebraeus
Helisaeus,
Dum sanat reum,
Num salvat eum?

2 b. Nazaraeus,
Hoc est Deus,
Fert reatus;
Manichaeus
Ac Iudaeus
Non idoneum
Sic dicit eum.

3 a. Ut vincatur
De re opinata
Adversarius,
Respondeat,
Aut redeat
Ac vereat-
ur scandalum.

3 b. Audiatur
De virga siccata,
Mirabilius
Quod floreat
Et frondeat
Et proferat
Amigdalum.

4 a. Uterus virginis
Repletus seminis
Caelestis numinis
Tumuit,
Sed est causa
Fructus clausa
Virgaeque fructum habuit.

4 b. Exemplo numinis
Nescia criminis
Deum vi flaminis
Genuit;
Non fit ausa
Ficti fraus a-
firmare, quod signum fuit.

5 a. Spiritus caelitus
Micuit,
Sincerus uterus
Maduit
Caelesti rore
Caelo distillante.

5 b. Sol merus et verus
Splenduit,
Dum Deus carneus
Adfuit
Humano more
Manens sicut ante.

Collectan. ms. Voravien. saec. 13. Cod. Voravien. 376 (136). — 1b, 3 nos eruit. — 2a, 7 sanat. — 3a, 6 sq. Ad verum sedem scandalum; offenbar verderbt. Zu vereat-ur vgl. 4b, 6 sq. a-firmare.

3. In Nativitate Domini.

1 a. Redemptori plebs redempta
Et a morte morte dempta
Laudes laeta personet;

1 b. Haec est Deo laus iucunda,
Cum mens casta, caro munda
Et vox vitae consonet.

2 a. Immortalis fit mortalis,
Sempiternus temporalis,
Natus patri coaequalis
Servi formam induens.

2b. Terris caelum inclinavit,
Terram caelo sublimavit,
Cum nos sibi sociavit
Sua non diminuens.

3 a. Est accensa tunc lucerna,
Quando venit lux superna,
Quae illustrat omnia;

3 b. Domum mentis tunc evertit,
Quando nos ad se convertit
Dei sapientia.

4 a. Est inventa
dragma, quam perdiderat,
Et ad gregem
ovis, quae abierat,
Reportatur,
Cum salvatur
Homo, qui perierat.

4 b. Redivivo
revertenti osculum
Dedit pater,
saginatum vitulum
Tunc mactavit,
Cum salvavit
Iuniorem populum.

Grad. ms. S. Audoeni Rotomagen. saec. 13. in. Cod. Matriten. C. 132. — Das weitere fehlt.

4. Haec sequentia canitur in prima missa Noctis Nativitatis Domini.

1 a. Praeter rerum seriem
Parit Deum hominem
Virgo mater;

1 b. Nec vir tangit virginem,
Nec prolis originem
Novit pater.

2 a. Virtus sancti spiritus
Opus illud caelitus
Operatur;

2 b. Initus aut exitus
Partus tui penitus
Quis scrutatur?

3 a. Dei providentia,
Quae disponit omnia
Tam suave,

3 b. Tua puerperia
Transfert in mysteria,
Mater, ave.

4 a. Paranymphus angelus
Ad te missus caelitus
Salutatum,

4 b. Videns te corpoream
Voce non corporea
Sic adfatur:

5 a. Ave, mundi gaudium,
Regis regum solium
Incarnati,

5 b. Illustrans fidelium
Luce mentes omnium
Ex te nati.

6 a. Iudicis placatio,
Criminum remissio
Tibi plaudat,

6 b. Totus coetus hominum
Et chorus spirituum
Semper laudat.

Grad. ms. Boscoducen. saec. 15. Cod. s. Iohannis Boscoducen. s. n. A. — Officium ms. B. M. V. (Caroli, Regis Siciliae) saec. 14. Cod. Parisin. 1343. B. — 1 b, 3 mater B. — 2 b, 1 Intus autem exitus B. — 2 b, 3 Qui AB. — 4 a sqq. fehlen B. — Mehrere andere Quellen (siehe dieselben Anal. XX, Nr. 53) enthalten ebenfalls nur die 3 ersten Strophenpaare. Die Sequenz in der *vorliegenden Form dürfte wohl eine spätere Erweiterung sein.* — Aufschrift nach A.

5. **In Circumcisione Domini.**

1. Laude mirandum digna
prosequamur regem,

2 a. Qui primum frondosa
paradisi
parentem sede miserans

2 b. Expulsum dolosi
virulento
serpentis hausto poculo

3 a. Humano nasci
pro genere voluit,
~~~~~~~~~~

3 b. Per virginalis
aulae auream portam
mundo veniens perdito.

4 a. Celsa polorum
~~~~~~~~~~
descendens arce summus
tulit membra
servilia Dominus,

4 b. Ut nos legislator
archos gravi
nexos sarcinarum
ligamento
legalium solveret.

5 a. Masculus hodie
~~~~~~~~~~
circumciditur typicus,

5 b. Innocens penitus
atque omnium labe
facinorum purissimus,

6 a. Incircumcisam sic
vitiis lucido
instruens exemplo

6 b. Sanctorum praeclaris
animam coetibus
esse proturbandam.
~~~~~~~~~~

7 a. Hodie ex eulogio
matris angelico
∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼
∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼
Iesu dictatum
∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼∼
acceperat vocabulum,

7 b. Qui suum diabolicis
populum vinculis
suae solveret
munere gratiae,
salvator ipse
salutifero purgans
peccamina remedio.

8 a. Te, virgo virginum,
te, stella maris clara,
sancta theotocos,
cernui precamur,

8 b. Ut omni scelerum
zizania pravorum
carnis ac spiritus
simul resecata

9 a. Virtutum ac morum
nitidos floribus
servulos amoenis,

9 b. Maiores cum parvis,
senes ac iuvenes
sexus utriusque

10. Unico filio
precibus commendes
circumcisos.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Trop. ms. saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 107 (100). B. — Trop. ms. Nonantulense saec. 11. Cod. Roman. 1343 (Sessor. 62). C. — Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. D.

1, 1 miranda dignum B. — 2 a, 1 frondo B. — 2 b, 2 virulenti B. — 4 a, 4 vilia C. — 4 b, 2 nexus B. — 5 b, 2 omnium labe C. — 6 a, 2 livido B. — 6 b, 3 perturbandam BC. — 7 a, 5 dicatum A. — 7 a, 7 accepit A. — 7 b, 5 salvator fehlt B. — 8 a, 4 concernui C. — 8 b, 1 Et omnis C. — 8 b, 2 in hamo pravorum A. — 8 b, 4 resecato AB. — 9 a, 1 Ut tutum ac B. — 9 b, 1 Maiores et parvulos B. — 10, 2 commenda B. — 10, 3 Iesu Christo B. — Melodie Captiva. Vgl. die Unregelmäſsigkeiten derselben bei Schubiger Nr. 20. — Betreffs der graphischen Wiedergabe s. den Nachtrag dieses Bandes.

6. De ss. Nomine Iesu.

1 a. Nomen Iesu, mel caelorum,
Pax est in ecclesia,

1 b. Turris fortis viatorum
Terrens infernalia.

2 a. Nomen Iesu idolorum
Confringit fabrilia,

2 b. Sublevamen miserorum
Confortat debilia.

3 a. Iesu bone, literarum
Vera refulgentia,

3 b. Da, collapsum tot errorum
Ne vincat versutia.

4 a. Nomen Iesu, decus morum
Per corda fidelia,

4 b. Certa merces bellatorum
In sacra militia.

5 a. Nomen Iesu, iubar clarum
Illustrans terrestria,

5 b. Te collaudat grex tuorum
Exoptans caelestia.

6 a. Iesu bone, rex caelorum,
Nos tibi concilia,

6 b. Ut perenni beatorum
Perfruamur gloria.

Miss. ms. S. Martini Turonens. saec. 15. add. saec. 16. Cod. Turonens. 194.

7. In Epiphania Domini.

1. Nostri promat
chori caterva
laude beata
propria
Deo reddens vota.

2 a. Concinat
ipsa laeta
melodia
sonora
sacra praeconia.

2 b. Gaudeat
omnigena
plebs redempta
per ampla
telluris spatia.

3 a. Laetabunda
dies quia
nunc rutilat
epiphaniae
Christi dedicata,

3 b. In qua plura
Dei sonant
mysteria
trinitatis et
gloria unica.

4 a. Adoratur hic intra
positus cunabula,
salus factus inclita
gentium et rex
imperans omnia.

4 b. Hac quoque die ipsa
sanctificat flumina
lavat et membra sua
diluens nostra
foeda peccamina.

5 a. Hic antiqua
renovatur iam natura,
quam iniqua foedarat
olim sententia.

5 b. Baptizatur
Christus lympha, et humana
condicio a noxa
purgatur dolosa.

6 a. Mox spiritus super aquam
manet sanctus consercratam
veluti columba,
intonat
ac voce paterna:

6 b. Proles mea haec dilecta,
quam genui ante saecla,
credite in ipsa,
est quia
mihi complacita.

7 a. Post nuptialia
inter convivia
in vinum vertitur aqua
huius mira potentia.

7 b. Hac virtute sua
perfrui gloria
faciat nos perpetua
ipse, qui regnat aeterna

8. Semper in saecula.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 6 a, 1 Vox. — Beachtenswert ist die beständig beobachtete Endassonanz in a; vgl. Nr. 25.

8. In Epiphania Domini.

1. Omnes

2 a. ergo laetemur,
quia Dei filiolus
hodie
apparuit,
nostrorum
expurgator facinorum,

2 b. Quem peperit
dignissima puellula,
fecunda
a spiritu,
Maria,
virgo tamen permansura.

3 a. Ipse lavit hominum
crimina,
baptizatus suo
in Iordane fluvio
hodie
a Iohanne praecursore.

3 b. Vox et summi parentis
de polis
natum testatur,
virtus adestque almi
spiritus,
sancti datrix charismatis.

4 a. Christe piissime,
servulis redemptis
pretioso
sanguine tuo
auxiliare digneris.

4 b. Tibi magi tria
munera deferunt
teque Deum
pannis obsitum
et regem regum adorant.

5 a. Quae trinitatis
figurant fidem,
patris atque nati,
pneumatis in
quibus regnat unitas.

5 b. Te venerari,
trinitas, decet,
sancta et veneranda,
nunc et semper
per omnia saecula.

6 a. Te adorant
angeli in caelis
omnesque
virtutes caelorum.

6 b. Nos fragiles
etiam homines
in terris
te Deum nostrum laudamus.

7 a. Et unanimiter
credula te
ecclesia sancta
per orbem
confitetur perennem.

7 b. Nos imploramus omnes
humiliter,
ab omnibus malis
corporis
mentis quoque servare

8. Digneris,
unice omnipotentis
parentis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 3 a, 3 eine Silbe Überschufs. — 5 a, 3 eine Silbe zu wenig; lies vielleicht parentis atque nati? — 6 b, 4 zwei Silben Überschufs, wie immer in dieser Mel. — 7 b, 1 sq. Nos humiliter imploramus omnes. — Melodie: Hypodiaconissa.

9. In Epiphania Domini.

1 a. Lucis orto sidere
Quaeramus summopere
Regem regum omnium,

1 b. Quaeramus humiliter,
Non se pandit aliter
Cordibus quaerentium.

2 a. Iacet in praesaepio
Spreto regum solio,
Degens in infantia,

2 b. Formam dans quaerentibus
Calcatis terrestribus
Amare caelestia.

3 a. Herode postposito
Magos cultu debito
Sequamur celeriter;

3 b. Stella duce cursitant
Ad regem, quem praedicant
Regnare perenniter.

4 a. Offeramus typice,
Quod illi magnifice
Tulerunt realiter:

4 b. Tus superno numini,
Murram vero homini,
Aurum regi pariter.

5 a. His donis, o lilium,
Placa nobis filium
Repletum dulcedine,

5 b. Ut possimus libere
Semper secum vivere
Paradisi culmine.

Prosar. ms. Ambianen. (Guilelmi Lovel) anni 1572. Cod. Ambianen 132. — Die Schlufsstrophen 4a sqq. finden sich in späterer Zeit als besonderes Motett verwertet mit der Änderung (4 a, 2) „Quod reges magnifice".

10. In Inventione Pueri Iesu.

1 a. Innovemus gaudia,
Quorum auctrix est pia
Virgo Dei genetrix,
Vitae nostrae alitrix;
Frequentemus hanc hymnis,
Quae iuvat assiduis
Nos suis suffragiis.

1 b. Recolamus, qualiter
Haec Dei nostri mater
Veterem tristitiam,
Per Evae stultitiam
Introductam, reppulit
Gaudiumque retulit
Suis beneficiis.

2 a. Haec inventrix gratiae,
Reparatrix gloriae,
Vena omnis veniae,
Origo laetitiae,
Levamen maestitiae
A nobis continue
Est laudanda strenue.

2 b. Omne datum virginis
Habet partem hominis,
Qui capax est muneris;
Nam partitur omnia
Virgo beatissima
Nobiscum donaria,
Quam amemus intime.

3 a. Nos conformes virgini
Faciamus cernui;
Sit nobis compassio
Super Iesu perdito,

3 b. Sit et iubilatio
Pro invento puero,
Sic pro nostro modulo
Placeamus Domino.

Brev. ms. Trebonen. saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. A. — Cod. ms. Parisien. 1144. saec. 15. B. — Brev. Misnense imp. (Lipsiae?) 1517. C. — „Ad missam Sequentia" A; „Prosa loco hymni" C. — 1 b, 2 Dei tuam matrem A. — Melodie offenbar: Mundi renovatio. — Verfasser wohl Iohann Hoffmann, wozu vgl. Anal. XXIV, Nr. 2.

11. In festo S. Salvatoris.

1 a. Christo, vero salvatori,
Decantent fideles chori
Laudes et praeconia;

1 b. Cuius nomen elevatum
Super caelos est beatum
Per aeterna saecula.

2 a. Canit sponsa cantum suum:
Oleum est nomen tuum
Diffusum per omnia,

2 b. Quia pascit, quia lenit,
Quia cunctis supervenit
Lucens Christi gratia.

3 a. Namque alabastro fracto
Tuae carnis, dire tacto
Spinis, clavis, lancea,

3 b. Tanta spirat vis unguenti,
Ut odore tam recenti
Vitae dentur mortua.

4 a. Clamat sanguis Abel terrae:
Deus Christe, miserere,
Quia hic est salus vere
Et vita mortalium.

4 b. Quod declarat virtus patris
Eius inimicis atris,
Dum in sinu suae matris
Persequuntur filium.

5 a. At, cum nunc regnat in caelis
Mortis superatis telis,
Hunc persequitur crudelis
Et dira insania,

5 b. Formam cuius inhonorant,
Vultum turpi sputo rorant,
Pedes, manus, latus forant,
Sed quid mirabilius?

6 a. Fons cruoris large manat,
Qui aegrorum membra sanat,
Nec tortoris mens profanat,
Sed clamat humilius:

6 b. Parce, Iesu immortalis,
Qui es patri coaequalis,
Fove nos sub tuis alis
Et iunge ecclesiae.

7 a. Iam nos scimus, licet sero,
Quod a patre, Deo vero,
Et de sinu eius mero
Carne sumpta veneris.

7 b. Ne nos iungas cum damnatis
Pro commissis perpetratis,
Sed adunes cum beatis,
Cum nos iudicaveris.

Miss. ms. S. Andreae in Scotia saec. 15. Cod. Arbuthnoten. s. n. (neugedruckt unter dem Titel: Liber ecclesiae Beati Ferreani de Arbuthnott. Burntisland 1864). — 4 a, 1 terae. — 7 a, 1 simus.

12. In Transfiguratione Domini.

1 a. Gratis factus Deus homo,
Quos expulerat pro pomo,
Revocat per gratiam,

1 b. Uiam monstrans, ad quam ducit
Et per quam vocatos ducit
Ad promissam gloriam.

2 a. Tres in via gradus pandit
Tresque duces, quibus scandit
Quis ad caeli bravium;

2 b. Tenet Petrus praecedentem
Iacobusque hunc sequentem
Et Iohannes tertium.

3 a. Ex his primam pone fidem,
Post hanc opus bonum quidem,
Quod datur ex gratia;

3 b. Radix Petro fides datur,
Virtus Iacobo signatur,
Per Iohannem gratia.

4 a. Istis tribus comitatus
Hodie transfiguratus
Est in monte Dominus;

4 b. Unus ternus Deus patet,
Nec propheta nec lex latet,
Omnia sunt comminus.

5 a. Super flumen est audita,
Prope montem repetita,
Nunc auditur tertio;

5 b. Assunt duo Dei testes,
Splendent vultus, albent vestes,
Declaratur passio.

6 a. Bene nubes unitatem,
Tres sub nube trinitatem
Bino dant ternario.

6 b. **B** . . . . . .
. . . .
. . . .

7 a. Assit ergo fides vera,
Spes in nobis sit sincera
Caritatis glutino.

7 b. Sic configuremur Deo,
Nec pars nostra sit cum reo
Pio dante Domino.

Miss. Abulense imp. Salamantiae 1510. — 2 b, 2 hunc fehlt. — 2 b, 3 Et fehlt. — 4 b, 1 Deus pater. — 4 b, 3 sunt communia. — 6 b scheint zu fehlen: Das Akrostichon verlangt eine mit B beginnende Strophe, und namentlich bildet „glutino“ keinen reinen Reim mit ternario, wohl aber mit Domino. — Den Verfasser nennt uns das Akrostichon: Gutterius abbas.

13. In Transfiguratione Domini.

1. Laetentur in Christo rege
Sion et exsultent filiae.

2 a. In regali Dei nato,
Maiestate declarato,
Se claros exhibeant,

2 b. Qui regnantem in decore
Post eclipsim huius horae
Videre desiderant.

3 a. Haec regnandi prophetia
Dulci canit melodia
De futuro saeculo;

3 b. Exsul nunc a summo bono,
Qualis sit futurus, homo
In hoc discat speculo.

4 a. Gloriose instauratur
Et a Deo illustratur
Haec transfiguratio;

4 b. Vestis, locus, tempus, cuncta
Sacramentis sunt fecunda,
Cuncta probat ratio.

5 a. Verum David Salomonem
Post extinctum Absalonem
In throno iam ordinat,

5 b. In quo pater sibi placens
Et serenum iubar clarens
Christi regnum consecrat.

6 a. Pro spe nostra et salute
Ut sol in sua virtute
Lucet septempliciter,

6 b. Christi vultus enitescit,
Immo sane plus clarescit
Sole multiplicius.

7 a. Albet nix in vestimento,
Ex utroque testamento
Ministri conveniunt;

7 b. His venturum Christum ducem
Duo signant, tres in lucem
Trinitatis prodeunt.

8 a. O beatae viri sortis,
Quibus non gustandae mortis
Crescit repromissio,

8 b. Donec regni venustatem
Cernerent et maiestatem
Hominis in filio.

9 a. In Moyse et Helia
Iesum lex cum prophetia
Messiam glorificant;

9 b. Christus vivens hic viventis,
Alter subdi dormientis
Statu suo indicat.

10 a. Nemo crucem perhorrescat,
Nullus pati pertimescat
Cum divino munere;

10 b. Gloria se sublimandum
Et honore coronandum
Valeat praesumere.

11 a. O paternae splendor lucis,
Da in forma tuae crucis
Nobis tecum commori,

11 b. Ut tuo resuscitatos
Configures conformatos
Claritatis corpori.

Grad. ms. Gelense saec. 15. Cod. Gelen. s. n. — 8 a, 1 O beati. — 11 b, 1 Ut tui.

14. De Passione Domini.

1 a. Salve, salutare lignum,
Gloriosae crucis signum,
Triumphale signiferum;

1 b. Te sacravit homo-Deus,
Iesus Christus Nazareus,
Redemptionis pretium.

2 a. O Maria, mater pia,
Caritate vulnerata
Per passionis gladium,

2 b. Crucifixum non deplores,
Pro redemptis sed implores
Mori dignantem filium.

3 a. O Iohannes, virgo sancte,
Adoptionis matris tantae
Per amoris signaculum

3 b. Sacramenti conditorem
Placa, sponsum, salvatorem
Ecclesiae fidelium.

4 a. Rex honore coronatus,
Patronus et advocatus
Esto tuorum pauperum;

4 b. Pastor, ovibus intende,
Vitae pascua impende,
Nobis dona praemium.

5 a. Te fontem
gratiarum omnium,

5 b. Te summum
gaudiorum gaudium,

6. Cum Deo patre et spiritu sancto
Confitemur in saeculum.
Alleluia.

Grad. ms. Dusseldorpien. saec. 15. Cod. Dusseldorpien. D 11.

15. De Passione Domini.

1 a. Postquam Iesus sic cenavit,
Oliveti transmeavit
Montem cum discipulis.

1 b. Ter oravit et expavit,
Deum patrem invocavit
Oculis flebilibus.

2 a. Sanguis cutem pertransivit,
Tremefactus et emisit
Sudorem sanguineum.

2 b. Iudas Iesum salutavit,
Ipsum ore osculavit,
Pium malus tradidit.

3 a. Tunc ad terram est prostratus,
Funibus illic ligatus
Et catenis ferreis;

3 b. Hinc ad Annam est translatus,
Alapis colaphizatus;
Poena gravis fuerat.

4 a. Irridentes, exspuentes
In faciem sanctissimam
Coetus hunc condemna-
verat.

4 b. Quo Pilato praesentato,
Ab Herode refutato,
Spreto cum cohortibus.

5 a. Cuius vestes doponentes,
Ac ad statuam ligantes,
Flagellis grave caeditur,

5 b. Coronam spineam plectentes,
Crudeli modo trucidantes
Caput eius sanctissimum.

6 a. „Ave, ave, rex“ psallentes
Milites, hunc illudentes
Flexis suis genibus.

6 b. Iesu educto a Pilato
„Ecce homo“ proclamato
Sententiae hic traditur.

7 a. Crucem solus baiulabat,
Crucifigendum corpus dabat
Et emisit spiritum.

7 b. Corpus eius deponitur
Ac sepulturae traditur;
Veritas attestatur.

8 a. O Iesus dulcissimus,
Te summum bonum petimus
Pro munere retributionis:

8 b. Quando corpus morietur,
Tua virtute anima perducetur
Ad regnum cum salute.

Grad. ms. Franciscan. Csiksomlyoen. saec. 15. Cod. Mus. nat. Budapestin. 3. A. — Miss. sec. notulam domin. Theutonic. imp. Nurembergae (Schöchs) s. a. B. — 1 a, 3 *cum tristitia.* B. — 1 b, 1 *oravit ter expavit* B. — 2 a, 1 pertransiit A. — 2 b, 1 Iesum Iudas B. — 2 b, 2 Osculari non expavit (wohl Korrektur der Perfektform osculavit) B. — 3 b, 1 est traductus B. — 3 b, 3 gravi A. — 4 a, 2 In fehlt AB; l. Faciem percutientes? — 4 a, 3 Seniorum hic coetus hunc A. Hic coetus B; — 5 a, 1 Eius B. — 5 a, 3 gravibus B. — 5 b, 3 Et caput B. — 6 a, 1 Ein Ave fehlt AB. — 6 b, 1 Iesu reductu cum Pilato B. — 7 a, 2 Ad crucifigendum B. — 7 b, 2 datur AB. — 7 b, 3 Et resurrexisse die tertia veritas AB. — 8 a, 1 Iesu dulcissime AB. — 8 a, 2 summum in bonis AB. — 8 b, 1 moritur A. — 8 b, 2 sq. Tunc in virtute sancta tua perducetur ad regnum B. — A bietet auch die Melodie, welche wegen schrecklicher Verwilderung des Textes unbrauchbar ist.

16. De Tunica Domini.

1 a. Exultando sacras laudes
Corde pio Trevirenses
Promant Christo Domino,

1 b. Cuius habent per Helenam
A supernis ordinatam
Sacrosanctam tunicam.

2 a. Hanc prophetae praedixerunt
Et in scriptis reliquerunt
Profuturam posteris,

2 b. In ovili Trevirorum
Maximilianus horum
Protector et dominus.

3 a. Sanctum nactus propositum
Iubet quaeri depositum
Tunicae dominicae.

3 b. Praesul fide loricatus
Paret Caesari Richardus
Quaerens [hanc] magnifice.

4 a. Tunicae ipse thesauro
Invento offert populo
Contuendum inclite;

4 b. Fidei sinceritatem
Offert cunctis, sanitatem
Languidis a crimine.

5 a. Invisuri tantum pignus
Vitiorum primo limus
Deponatur animae,

5 b. Nam reticulata sacris
Est almae virginitatis
Manibus christiferae.

6 a. Corpus Christi sacrosanctum
Tangit pignus hoc et tantum
Crescens nutu flaminis,

6 b. Sanat aegram per virtutem,
Vi nervorum dissolutam
Fluxum stringens sanguinis.

7 a. Tantam ergo Christi vestem
Morbum carnis atque pestem
Mentis avertentem omnes
Collaudantes veneremur
Sinceris affectibus.

7 b. Ipsa enim exstat vestis,
In qua Christus crucifixus
Et ad mortem usque lassus
Vidit sortem iuxta scripta
Mitti a militibus.

8 a. Per quam sacra conservetur
Ecclesia et laetetur
Pace freta, Deo detur
Honor, Deus et precetur,
Schismata ne irruant.

8 b. Fili Dei, te laudamus,
Confitemur, adoramus,
Tunica nam tua dignos
Nos fecisti, sublimandos
Nunc et in perpetuum.

Miss. Trevirense imp. Confluentiae 1547. — 4 a, 1 thesauro ipse. — 5 b, 1 reticulatam. — 7 a, 1 Tantum. — 7 a, 3 Mentem. — 7 b, 2 in quam. — Verfasser Johannes de Enen, Weihbischof von Trier.

17. Missa de Tunica Inconsutili.

1 a. Plebs pistica, prome laudes
Redemptori, cuius gaudes
Habitu dignissimo,

1 b. Fide firma per quem audes
Hostiles vincere fraudes
Agressu tutissimo.

2 a. Vestis haec est manuale
Matris opus virginale,
Actum sine sutura;

2 b. Corpus tegit filiale,
Donec debitum mortale
Ferret pro creatura.

3 a. O mirandum vestimentum,
Cuius aetas dat augmentum
Ab eius infantia;

3 b. Simul sumunt incrementum,
Nullum vestis nocumentum
Gerens, labis nescia.

4 a. Hanc Iudaei rapuerunt
Et sortem super miserunt
Nolentes partiri;

4 b. Nam, quod vates praedixerunt,
Haec ignari perduxerunt
Effectum sortiri.

5 a. Quam ab oris gentilium
Imperator fidelium
Karolus extraxit,

5 b. Regno gestante lilium
Per virtutis auxilium
Haec famam protraxit.

6 a. Ab argento sumpsit nomen
Oppidum, quo dedit numen
Sacram collocari,

6 b. Ubi gratis dat iuvamen
Christicolis hoc velamen,
Dignum decorari.

7 a. Guerrarum per intervalla
Vestis muro latens illa
Stat nullo sciente;

7 b. Unde fulgent miracula,
Monachorum oracula
Angelo ducente.

8 a. O quam certa probatio,
Indiscreta devotio
Militi frangenti,

8 b. Cui vitae sedatio
Fuit et restauratio
Reatum lugenti.

9 a. Ut fore Christi tunicam,
Quam mater egit unicam,
Fidelis confidat,

9 b. Gratiarum mirificam
Et nostrae precis amicam
Hanc nullus diffidat.

10 a. Quam colentes post mortalem
Stolam Christus immortalem
Det ferre nuptiis,

10 b. Perducens ad triumphalem
Collaetantes Hierusalem
Summis deliciis.

Miss. Parisiense imp. Parisiis 1541. — 6 a, 1 sq. weist auf Argenteuil.

18. De Corona Spinea.

1 a. Ad honorem
Cantemus coronae Christi
Alleluia.

1 b. Hac corona
Mundent sacri flatus dona
Corda nostra.

2 a. De spinis conficitur,
Quibus Christus pungitur,
Diadema.

2 b. Christi sanguis funditur,
Qui nobis efficitur
Medicina.

3 a. Nam, cum caput pungitur
Christi et comprimitur
Hac corona,

3 b. Daemon tunc confunditur,
Synagoga sternitur
Semper caeca.

4 a. Sertum pro supplicio
Fit et pro ludibrio
A profanis;

4 b. Est spinarum punctio
Iucunda devotio
Christianis.

5 a. Crux, corona spinea,
Clavi, simul lancea
Erunt in novissima
Die illa,

5 b. Et Christi tunc varia
Patebunt supplicia
Per vexilla regia
Haec praedicta.

6 a. Tunc erunt vetera
Deiecta scelera,
Et damnabitur
gens misera.

6 b. Nostra sint opera
Sic salutifera,
Ut cantemus in
patris dextera.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 1 b, 2 sacri pneumatis. — Melodie: Laetabundus.

19. De Corona Spinea.

1 a. Speciali gloria
Cunctis in memoria
Christi sit martyrium;

1 b. Dulcis recordatio,
Qualis amicatio
Fuit illud omnium.

2 a. Homo, pensa suaviter,
Pro te Christus graviter
Passus est suspendium.

2 b. Clavi, crux et lancea,
Fel, arundo, spongia
Sint in visu mentium;

3 a. Plus corona spinea,
Rubens et sanguinea,
Sacrum plectens cranium,

3 b. Lotrix nostri criminis,
Victrix Orci liminis,
Sublevans excitium.

4 a. Florum flos egreditur
Spinam, qua flos laeditur
In salutis gaudium.

4 b. Hanc ut crucem Dominus
Tactu sacrat, non minus
Sibi sit praeconium.

5 a. Lex hanc typat Moysi
Sertis Maon Isai
Saul cingens filium.

5 b. Hac divinae gratiae
Supplicemus facie
Frui det caelestium.

Miss. ms. Ultraiectin. saec. 15. Cod. Ultraiectin. 402. A. — Miss. ms. Ultraiectin. saec. 15. Cod. Haagen. V 25. B. — Miss. ms. Ultraiectin. saec. 15. Cod. Bruxellen. 15 073. C. — Miss. ms. Capellae Leprosorum prope Horn. saec. 15. Cod. Weerten. s. n. D. — Grad. ms. anni 1542. Cod. Bruxellen. 4767. E. — Sequent. ms. Campen. anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. F. — Miss. Traiecten. imp. Antwerpiae 1540 (W. Moll, Hymnen en Sequentien). G. — 1 a, 1 Specialis F. — 1 a, 3 Sit Christi CDE. — 2 a, 2 Per te F. — 2 b, 3 in viso CDE. — 3 a, 3 plectens carminum F. — 3 b, 2 Victrix orti luminis F. — 4 a, 1 sq. egreditur | Spinam qua flos fehlt A. — 4 a, 2 Spina B. — 4 b, 3 Sibi sit fehlt F (eine Lücke); Sibi fehlt G. — 5 a, 1 In hanc F. — 5 a, 2 Sertus CDFG. — 5 b, 1 Hanc divinae CDEFG. — Melodie: Veni sancte Spiritus.

20. De Corona Spinea.

1 a. Iam caelorum hierarchia
Dulcisona melodia
Psallat regi gloriae,

1 b. Psallat omnis creatura
Laureato iam praedura
Corona victoriae.

2 a. Sion nata, fac egressum,
Diadema vide pressum
In caput dominicum,

2 b. Quo synagoga crudelis
Mater illud spinae telis
Coronavit caelicum.

3 a. Immundatur sacra cutis,
Maculatur foedis sputis
Clara regis facies,

3 b. Flagellatur dulcis Iesus
A Pilato, ut sic caesus
Zeli cedat rabies.

4 a. Exiit hinc ferens sertum
Diris sentibus refertum
Manibus sacrilegis,

4 b. Exclamavit tunc proterva
„Crucifige hunc“ caterva,
„Hunc perversorem legis.“

5 a. Salve, lignum memoria
Dignum, per quod scoria
Cessavit protoplasti,
Cui gyro orbis fasti
Nullum coaequatur.

5 b. Sit benedicta florida
Corona, quae rorida
Fit virgineo rore,
Christi nobili cruore,
Per quem fecundatur.

6 a. Caelum stupet, terra tremit,
Quod arundo spinam premit
In sacratum lilium,

6 b. Eclipsavit lux solaris,
Ubi sensit in amaris
Poenis Dei filium.

7 a. Telluris apertura
Petrarumque scissura
Hunc Deum est fassa,

7 b. Sed nefanda natio,
Cuius caeca ratio,
Huic non est compassa.

8 a. Haec attende, credula
Gens, et voce sedula
Clama cum propheta:

8 b. Quae reddam vota pia
Deo, qui ludibria
Tulit sine meta?

9 a. Pietas Domini multa,
Nam rogat, ut sit inulta
Tortorum malitia;

9 b. Quis audivit tale donum?
Redditur pro malo bonum,
Pro bono supplicia.

10 a. Fili Dei, mitis agne,
Regum dominator magne,
Peccantes non despice,

10 b. Obscurato pridem velis
Vultu, nunc fulgente caelis
Plasma tuum respice.

11 a. Te precamur, nobis praesta,
Ut coronae tuae festa
Recolamus cernui,

11 b. Recolentes, pater, nosce,
Libro vitae nos deposce
Aureola perfrui.

12 a. O cunctorum causa prima,
Summa gubernans et ima,
Fac nos te diligere

12 b. Fide recta, spe perfecta,
Ut cum turba praeelecta
Semper queamus vivere.

Seq. ms. Lunaelacense saec. 15. Cod. Vindobon. 4088. A. — Miss ms. Claustroneoburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 608. B. — Miss. ms. Claustroneoburgense anni 1479. Cod. Claustroneoburgen. 612. C. — Miss. ms. Claustroneoburgense saec. 15. Cod. Claustroneoburgen. 616. D. — 2 b, 2 Nostre illud A; Martyr illa B. — 3 a, 1 Inudatur B, Inundatur C. — 4 b, 1 tunc fehlt BCD, — 4 b, 3 Hunc fehlt BCD. — 5 b, 1 Fit A. — 5 b, 2 quae fehlt BCD. — 6 b, 2 sentivit amaris A. — 7 b, 2 Cuius excaecatio A. — 8 b, 1 reddas A. — 10 b, 2 Vultu fehlt A; fulgens A. — 11 a, 3 Recolentes A. — 11 b, 1 pater noster A.

21. De Corona Spinea.

1 a. Gens Gallorum, iucundare
Te prae cunctis abundare
Sabaoth in vinea;

1 b. Voce pia memorare
Donum Dei singulare
De corona spinea.

2 a. Quam cum turba praelatorum
Ludovicus, rex Francorum
A Philippo tertius,

2 b. Magna cum devotione
Passionis et coronae
Attulit Parisius.

3 a. Quam Venetarum incolis
Praeses Constantinopolis
Obligarat in pignore,

3 b. A Pipinis et Carolis
Honorandam christicolis
Tuo redemit tempore.

4 a. Providit heres . . .,
Quod regis nuntii . .
Non inconsulte precore

4 b. Attulerunt in Franciam
Latriae terrae propriam
A latialis lutore.

5 a. Felix proles Hectorea,
Gens in bello fulminea,
Felix Francorum filius,

5 b. Gens audax, a qua postea
Lutetium urbs antea
Dicta fuit Parisius.

6 a. Sanctis cuius doctoribus
Et invictis militibus
Victrix et doctrix galea,

6 b. His ut praedicatoribus,
Istis tamquam martyribus
Sacra mittitur aurea.

7 a. Plebs gratiae singularis,
Quae propter haec congregaris,
Coronae sollemnia

7 b. Dum canendo gratularis,
Inde ne oblíviscaris
Coronae mysteria.

8 a. Christus fuit coronatus,
Sed coronae cruciatus
Pungentis angustia;

8 b. Victor fuit laureatus,
Fuit tamen sociatus
Dolor cum victoria.

9. Honor spinae sociatur,
Ut fidelis habeatur
Mentis in memoria.

10 a. Et attende, plebs devota,
Cui ratio non est nota,
Ex spinis [cur] laurea,

10 b. Et quid per hoc figuretur;
Istud enim, ut videtur,
Factum est propterea:

11 a. Nam corona, quae beatis
Erit, fiet haec damnatis
Ac reprobis spinea,

11 b. Quando Christus iudicabit,
Quando purum separabit
Triticum a palea.

12 a. Nunc devoti supplicamus,
Ut in mundo sic vivamus,
Quod sequantur gaudia;

12 b. Hic coronam celebramus,
Coronati gaudeamus
Aeterna praesentia.

Sequent. ms. saec. 16. Cod. Ravennaten. 139. 5. S. — 6 a, 3 Victri doctrix. — 6 b, 1 His in. — 11, a 2 Exit. — 12 a, 3 Quod rem que gaudia. — 12 b, 1 Hec coronae celebremus. — Abgesehen von anderen Dunkelheiten des Textes ist zu beachten, dafs die 2 ersten Verse von 2 b mit den entsprechenden von 2 a nicht, wie es sonst durchweg der Fall ist, reimen; ähnlich bei Str. 10 u. 11 nicht gleicher Reim.

22. In Parasceve Domini.

1. Pater, qui commoda
omnia regis
ubique pariter
cum propria subole,

2. Quam pro nostro
admisso scelere
hodie das in escam
pro omnibus populis.

3. Traditur patrator mundi
per manus miseri Iudae
infidis Iudaeis
ad crucifigendum,

4. Ut nos a morte eripi
valeremus gratias
persolventes.

5. Magnus in orbe sacerdos
hodie immolatur
pro salute mundi.

6. Huius in morte
sol tenebrescit,
infernus ac tellus
seminant lacrimas
cum tremore.

7. Latro ipsum agnovit,
dum penderet in cruce,
dicens: Domine
mei memento;
at Iesus ait: pateant
tibi et in me sperantibus
ianuae paradisi.

8. Qui passurus advenisti
propter nos,
prophetice prompsisti:
ero mors tua, o mors.

9. Teque vinciri
voluisti
nosque a nostris
vinculis eripuisti.

10. Vita in ligno
moritur,
infernus et mors
rugiens spoliatur.

11. Sancti, qui tenebantur
in morte capti,
in voce lacrimabili
clamaverunt: advenisti
redemptor noster,
quem exspectabamus.

Trop. ms. Vicense saec. $^{11}/_{12}$. Cod. Capit. Vicen. CXI. — Wie die Neumen erkennen lassen, ohne Parallelismus.

23. De sancto Sepulcro.

1. Victimae paschali laudes
Christo nunc persolvemus.

2 a. Agnus redemit oves
Christus morteque sua
Reconciliavit
peccatores,

2 b. Mors et vita duello
Diro in isto bello,
Dux vitae mortuus
regnat vivus.

3 a. Dic nobis, Maria,
Numquid tumbam vidisti,
Sepulcrum Christi viventis
Et gloriam eius resurgentis?

3 b. Angelicos testes
Produxisti et vestes,
Quod Christus certe surrexit
Praecedens suos et quos dilexit.

4 a. Credendum est magis almae
Mariae his verbis,
Quam Iudaeorum
factis protervis.

4 b. Scimus Christum surrexisse
ab hac tumba vere,
Tu nobis, Christe
rex, miserere.

Miss. Wratislavien. imp. Cracoviae 1505. — Mel. selbstverständlich: Victimae paschali.

24. De sancta Cruce.

Salve crux, salve mundi salvatio, salve.
Arbor ave vitae, fructus vitae viret in te,
Est odor et gustus tuus eximius, pretiosus,
Vitae deliciae sunt in te, vivimus ex te.
Nascitur ex ligno mors, per lignum moritur mors,
Mors moritur per te, nos vita resuscitat in te,
Vivificat vetiti defunctos germine ligni,
Victos per lignum dat per te vincere lignum.
Vicit enim ligno mors, victrix obtinuit nos,
Consuit ex foliis, heu, perizomata nudis,
Ex vitae ligno seclusit traduce ligno,
Mors nos excedit; hanc, crux, tuus esus abegit.
Nos mors evomuit, in te dum vita pependit,
In te, mors mortis, sanguis profluxit erilis.
O lignum vitae, crux, nostra redemptio, salve.
In te Leviathan est captus, Adam reparatus,
Per te chirographum rescinditur evacuatum;
Pondus dulce ferens peccati pondera deles,
Eden es clavis, mundi tutissima navis,
Carbasus et transtrum, remex antemnaque, clavum,
Es via, dux et piratis erebi dominaris,
Provehis et munis nos, adversantia punis,
In portum ducis, sub abyssum mersa reducis
Scylleosque canes a nostris morsibus arces.
Arbor ave σταῖρος, salva, Deus ἀθανατὸς, nos;
Non tradas morti, quos in cruce vivificasti,
Contra quodque malum crucis exsere, Christe, tropaeum,
Non tibi despecti sint, pro quibus occubuisti,
Et quorum pretium tuus est cruor in cruce fusus,
Sed meminisse velis, quod factus es hostia nobis,
Quod pro vulneribus nostris es vulnera passus.
Antidoto vitae contritos corde medere,
Quod placet, id confer, quidquid tibi displicet, aufer,
Iunge tibi tua membra, sit in te sessio nostra.
Victor mortis, ave; crux, vitae gloria, salve.

Grad. ms. Epternacen. saec. 12. Cod. Parisien. 10510. — Aus der gleichen Quelle Reiners (Die Tropen-Prosen u. Präfationsgesänge 1884, S. 90), nicht ohne einige störende Lesefehler. Ziemlich mifsglückt ist die Ausgabe von F. X. Kraus (Österreich. Vierteljahrsch. f. kath. Theol. II, 54 sq.) — Als Verfasser möchte Reiners auf Grund der Helenismen den Abt Thiofrid vermuten. — „Titulus: Dulce lignum.“

25. In Exaltatione s. Crucis.

1 a. Prodeunt vexilla
nunc regis aeterni
praeclara,

1 b. Fulgent mysteria
crucis vivificae
sacrata.

2 a. Est in qua
praecellentissima hostia

2 b. Immolata
redemptionis gratia,

3 a. Iam pretiosissima
Christi pendent viscera
in cruce celsa,
tenduntur membra,
manus ac vestigia
clavis confixa.

3 b. Vulneratus lancea
nostra lavit crimina,
sanguis et aqua
profluxerunt,
et mundantur maria,
aer et terra.

4 a. O nimis fulgida
et decora
arbor beata
et ornata
regis purpura.

4 b. Tu digno stipite
es electa
tangere membra
gloriosa
ac sanctissima.

5 a. Super universa ligna
cedrorum celsior sola,
pependit in qua
Dominus, mundi vita.

5 b. David fidelis carmina,
quae cecinit, adimpleta
credimus, regnat
Deus de ligno quia.

6 a. Salve, crux pretiosa,
salve, crux veneranda,
quae Christi es
corpore dicata;

6 b. Tu es, crux veneranda,
tu es, crux adoranda,
digna mundi
portare talenta.

7. O crux gloriosissima,
omnium spes unica,
nostra poscit caterva,
veniam reis dona,
ut gaudeamus per saecla.

Miss. Abulense imp. Salmanticae 1510. — 2 a, 2 Et in quam. — 3 b, 4 scheint verderbt. — 6 b, 3 sq. portare mundi.

26. „Philothei monachi Casinensis in sacrosancto resurrectionis die Sequentia."

1 a. Laudent caeli conditorem,
Laudet terra redemptorem
Mirans eius gloriam;

1 b. Laeta dies sit redemptis,
Lingua promat resurgentis
Domini victoriam.

2 a. Dies namque celebratur,
In qua nostrae praesignatur
Carnis resurrectio;

2 b. Agnus vicit nunc draconem,
Nunc submersit Pharaonem
Rubri maris sectio.

3 a. Imber abit et recessit,
Hortus noster iam florescit,
Perfluunt aromata;

3 b. Sponsa fulvos inter flores
Christi currit post odores
Concinens alleluia.

4 a. Peccatorum sonent plausus,
Ionas ceti ventre clausus
Hodie proicitur;

4 b. Philistaeos verus David
Et Goliam superavit,
In quo Satan vincitur.

5 a. Postquam diu tritus sedit,
Bona tandem Iob accepit
Duplicis substantiae;

5 b. Samson urbis tulit postes,
Viro forti cedunt hostes
Caelestis potentiae.

6 a. Nunc Aegyptus spoliatur,
Plebs Hebraea nunc ditatur
Sempiterno munere;

6 b. Hoc tu nobis praestitisti,
Christe Iesu, cum venisti
Iugum nostrum tollere.

7 a. Mortis hamum tunc celasti,
Cum te nobis coaptasti
Carne cinctus lutea;

7 b. Nunc infernum momordisti,
Morte mortem peremisti
Dei cinctus framea.

8 a. Portas aeris confregisti,
Victor, Christe, surrexisti
Pede calcans tartara.

8 b. Dulcis Iesu, pastor vere,
Tu nos tecum fac gaudere
In aeterna saecula.

Miss. Casinen. imp. Venetiis 1505.

27. In Resurrectione Domini.

Feria Quarta.

1 a. Splendent, ecce, novi
rutilantia festa diei,

1 b. Azima fermento
quibus est plebs laeta repulso.

2 a. Non haec Ebraici
vetus est celebratio phase,

2 b. Agnus praecipuam
tulerit haec ille figuram.

3 a. Etenim nostrum
pariter
pascha crucis
tulit suspendia,
uterque postis
intinctus,
ac piaculo
tanti criminis
luminaria
templi cum velo scissa.

3 b. Si primogenitus
Israel
conferatur
Aegypto,
qui carior cunctis
habebatur populis,
utrosque,
licet caesos,
parebit illos corpore
tantum, illos anima.

4 a. Nam nocte
media claustra
inferni disrupta
fideliumque omnium
redemptio facta.

4 b. Vetera
iam recedant
fermenta,
erumpant azima,
induantur nova.

5. Crucifixus Dominus
pro homine
eadem die,
qua creavit hominem,
mortuus atque sepultus,
velut in principio sua
cuncta patrarat opera.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Die Hexameter 1a—2b Entlehnung. — 3b, 4 Aegyptus. — 3b, 10 tamen. — 4b, 5 diutantur nova. — 5, 1 Domino. — 5, 6 suo. — Kein Parallelismus.

28. In Resurrectione Domini.

Feria Quinta.

1. Alleluia,

2. Sabbato namque
quievit sepultus
lapide,
ut veteris cuncta
fuisse factus sum,
cenantur iam novae
umbra.

3. Eoa lux occurrat
octava,
quae est et prima,
evigilet,
qui dormierat
et potum mortis biberat,
det tristi mundo gaudia,
qui eius tulit peccata.

4. Iam surrexit,
iam se ostendit,
iam cunctorum per ora
volitat hac aula:

5. Lauda, iubila,
hymniza, decanta,
plebs nunc tu christiana,
cum Christo commortua
et convivificata,
adhuc per aevum
resurrectura.

6. Dole et ange, Iudaea,
quae amisisti quondam
misera tutorem
tui; fornicaria,
redi ad eum,
qui te dilexit
ab adulescentia,
ut nobiscum sis sponsa

7. Eius, qui cum patre
et spiritu sancto unus
vivit Deus et regnat
per cuncta saecula.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Nach Ausweis der Neumierung ohne Parallelismus. — 2, 4 sqq. unverständlich. — 4, 4 haec aula.

29. In Resurrectione Domini.

Feria Quarta.

1. In exitu Israel
de Aegypto
Est cantandum
Alleluia.

2a. Est Aegyptus spoliata,
Hebraeorum gens ditata
Alleluia.

2b. Pharaonis currus multus
In profundum est sepultus,
Alleluia.

3 a. Eius posse est absorptum,
Tu, plebs Dei, tenes portum,
Alleluia.

3 b. Tu, plebs Dei, sis in laude,
Canta Deo et adplaude,
Alleluia.

4 a. O rex Achim, es deceptus,
David noster est erectus,
Alleluia.

4 b. Contra datam sibi sortem
Ionas noster vicit mortem,
Alleluia.

5 a. Samson Gazae seras frangit,
Orcus suas fractas plangit,
Alleluia.

5 b. Dagon cadens est confractus,
Daemon pugnans est subactus,
Alleluia.

6 a. Raab dedit filum nosse,
Quantum, quale crucis posse,
Alleluia.

6 b. Postis cruce consignatur,
Plebs a morte liberatur,
Alleluia.

7 a. Verus agnus immolatur,
Via vitae nobis datur,
Alleluia.

7 b. Fracto iugo dirae mortis
Resurrexit leo fortis,
Alleluia.

8 a. Resurrexit Christus vere,
Nequit illum mors tenere,
Alleluia.

8 b. Iesus fuit monumento,
Resurrexit, plebs, memento,
Alleluia.

Grad. ms. Sedunen. saec. 13. Cod. Capit. Sedunen. s. n. A. — Sequent. ms. Sedunen. saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — Sequent ms. Sedunen. saec. 14 et 15. Cod. Capit. Sedunen. s. n. C. — Sequent. ms. Sedunen. saec. $^{15}/_{16}$. Cod. Capit Sedunen. s. n. D.

30. Sabbato post Pascha.

1 a. Resurrexit amor meus,
Iesus, qui est homo-Deus
Et dulcis memoria.

1 b. Resurrexit de sepulcro
Qui pependit ligno pulchro,
Per quod ad iustitiam

2 a. Resurrexit Christus vere
Et hoc teste muliere,
Cui primo apparuit;

2 b. Resurrexit sol refulgens,
Qui peccamina indulgens
Toti mundo claruit.

3 a. Resurrexit, ut non flerent
Discipuli sed gauderent
In eius praesentia;

3 b. Resurrexit, ut surgamus
A vitiis et eamus
Per eius vestigia.

4 a. Resurrexit morte trita
Iesus, qui est tuta vita
In eum credentibus;

4 b. Resurrexit flos decoris,
Ut sit balsamus odóris
Post ipsum currentibus.

5 a. Resurrexit pius frater,
Qui est semper dulcis pater
In via et patria;

5 b. Resurrexit, ut fraterno
Solacio et paterno
Fruamur in gloria.

Miss. Fontrebalden. imp. Parisiis 1534.

31. Dominica in Albis.

1 a. Psallat chorus
Nunc sonorus,
Si tamen promeruit,

1 b. Plebis sanctae,
Cuius ante
Deus crimen abluit.

2 a. Turba recens,
Quam fons praesens
Christo quoque genuit,

2 b. Quamvis lactens
Nova petens
Vetera deposuit.

3 a. Omnes simul christiani
Sacrificio paschali
Laudes dare studeant;

3 b. Pastor verus resurrexit,
Ad caulas oves direxit,
Semper ubi gaudeant.

4 a. Vicit vita,
Mors est victa
Hoc sollemni proelio;

4 b. Morte Christi
Surgunt iusti
Exempti exsilio.

5 a. Nos fermento
Tandem spreto
Veteris perfidiae

5 b. Iam securi,
Quod visuri
Regem sumus gloriae.

6 a. Adeamus
Gallilaeam,

6 b. Transeamus
Ut per eam

7 a. Ad regna caelestia;

7 b. Amen dicant omnia.

Tropar. ms. Benedictin. saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485. B. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. C. — 2 b, 3 disposuit C. — 3 b, 3 gaudeat C. — 4 a, 1 Vincit BC. — 4 b, 2 Surgunt rei A.

32. Dominica 2. post octavam Paschae.

1 a. Immutato carnis iure
Universae rex naturae
Iura subit creaturae
Sola ductus gratia.

1 b. Res a saeclis non audita:
Deitati fit unita
Caro nostra, mundi vita
Virginali clausula.

2 a. Stella nova novum lumen
Dat, dum spirat virgo numen,
Cui caelum, terra, flumen
Lege cedunt debita.

2 b. Fecundatur caeli rore
Vellus siccum, virga flore,
Castitatis cum tenore
Virgo fit puerpera.

3 a. Praesagitus in scripturis
Mons abscissus non scissuris,
Carnem vestit nostri iuris
Agnus absque macula.

3 b. Rubum sacrans vivax ignis,
Homo Deus, hic mons pinguis,
Certis mundo claret signis
Vitae dans piacula.

4 a. Maiestatis ius divinum
Unda sentit, cum fit vinum,
Gustantem architriclinum
Nova fallunt pocula.

4 b. Panum quinque supplementa
Turba stupet his distenta,
Vix reponens tot fragmenta
In bis sena sportula.

5 a. Lingua mutis reseratur,
Claudis gressus reparatur;
Helisaeus incurvatur,
Caro calet pueri.

5 b. Jam loto Naaman unda
Lepram nescit caro munda,
Redivivi fit iucunda
Martha soror Lazari.

6 a. Ramis via decoratur,
Deum turba protestatur,
Dum Hosanna proclamatur
Salvatori obviam.

6 b. Plebs Iudaea zelo tacta
Deitatis, stupefacta,
Pavens, ne gens fidem nacta
Tota colat Messiam,

7 a. Mortis causa machinatur,
Iudae munus irrogatur,
Turbae Christus demonstratur
Signo pacis osculo.

7 b. Flagris caesus coronatur,
Cruce lusus elevatur,
Perforatur et potatur
Mixto fellis poculo.

8 a. Universae carnis sortem
Vita subit passa mortem,
Lapsam Styge sic cohortem
Evehit ad propria.

8 b. Leo fortis suscitatur,
Magdalena quod testatur,
Cui primum declaratur
Resurgentis gloria.

9 a. Quadraginta post diebus
Attestatus multis rebus
Noster scandit astra Phoebus
Vescens cum discipulis.

9 b. Hinc promissa complens data
Corda replet praeparata,
Lingua stupet gens adfata
Fantibus apostolis.

10 a. Erubescant iam Iudaei,
Caelis regnat caro Dei,
Cuncta merces nostrae spei,
Patris est ad dexteram.

10 b. Tu regnantis o Maria
Mater Christi, vitae via,
Ora natum prece pia,
Ut det nobis veniam

11. Et solutos mole carnis
Pertrahat ab patriam.

Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. B. — 3 b, 1 Rubrum B. — 5 b, 1 Nam loto AB. — 9 a, 3 Nostri AB.

33. In Ascensione Domini.

1. Adest nobis summa
laetitia,
perennis gloria.

2 a. Christus ascendit victor
ad caeli summa
secum reportans
mortis tropaea.

2 b. Stupet manus sacrata
apostolica
cernens miranda
atque iucunda.

3 a. Nubes namque praeclara
Christum tulit in aethra,

3 b. Pollicentem ventura
spiritus sancti dona.

4 a. Huius virtus apostolorum
perlustravit corda
iuxta promissa
die decima.

4 b. Sic nos inflammet supera
charismatum gratia,
ut simus eius
habitacula

5. Affatim digna
per aeterna saecula.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

34. In Ascensione Domini.

1 a. Canamus alacriter
Corde, voce dulciter
Pulsis vanis eminus;

1 b. Nam rex regum omnium,
Lux, vita fidelium,
Iesus Christus Dominus,

2 a. Postquam victo zabulo
Surrexit e tumulo
Paruitque servulis,

2 b. Monens, ut increduli
Non essent sed seduli,
Verbis et miraculis,

3 a. Et inserant libere
Lato patris munere
Orbi salutifera,

3 b. Hoc die cernentibus
Illis et mirantibus
Scandit supra sidera.

4 a. Nunc ergo te poscimus,
Ut nos, qui te colimus,
Orphanos non deseras,

4 b. Sed promissa caelitus
Dona sancti spiritus
Nobis, Christe, conferas,

5 a. Et in fine saeculi,
Cum opera populi
Veneris discutere,

5 b. Non saeva supplicia
Sed aeterna gaudia
Digneris impendere.

Sequent. ms. saec. 16. Cod. Ravennat. 139. 5. S. A. — Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Anbianew. 132. B. — Miss. Fontebralden. imp. Parisiis 1534. C. — 3b, 1 die cenantibus A. — 5b. 1 Nam saeva. — Melodie: Lucis orto sidere.

35. In Ascensione Domini.

1. Salve, dies, qua inferna
Spoliavit ad superna
Christus tendens gaudia.

2 a. Christus Iesus nunc ascendit,
Qui pro nobis iam descendit
Nostra sumens vilia.

2 b. Super astra sublimatur,
Non apparet, absentatur
Corporis praesentia.

3 a. Cuncta tamen moderatur,
Cuius patri coaequatur
Honor et potentia.

3 b. Modo victor, modo tutus,
Est in caelis constitutus
Rector super omnia.

4 a. Non est rursum moriturus
Nec per mortem mundaturus
Hominum contagia.

4 b. Semel enim incarnatus,
Semel passus, semel datus
Pro peccatis hostia.

5 a. Nullam refert ultra poenam,
Nam quietem habet plenam
Cum summa laetitia.

5 b. Cum recessit, ita dixit,
Intimavit et infixit
Discipulis talia:

6 a. Iam ad patrem meum ibo,
Sed sciatis, quod redibo,
Veniet paraclitus,

6 b. Qui discretos et loquaces
Et securos et audaces
Faciet vos penitus.

7 a. Super aegros et languentes
Manus vestras imponentes
Sanitatem dabitis,

7 b. Universas res nocentes,
Inimicos et serpentes
Et morbos fugabitis.

8 a. Qui fidelis est futurus
Et cum fide suscepturus
Baptismi remedium,

8 b. A peccatis erit purus
Et cum iustis habiturus
Sempiternum praemium.

Grad. ms. Mutinen. saec. 12. add. saec. 12/13. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16. — 5 b, 3 Talia discipulis; stört den Reim. — Strophe 1 dient als R° nach je 3 Zeilen.

36. In Ascensione Domini.

1 a. Iesum sonet laudis melos,
Rex virtutum scandit caelos
Sublimi potentia.

1 b. Totus caeli potentatus
Illi exit laureatus
Summa cum laetitia.

2 a. Iubilant et admirantur,
Laude simul iucundantur
Circa haec magnalia.

2 b. In dulcorem sonant voces,
Distinguunter per cohortes
Astra caeli fulgida.

3. In amorem exardescunt,
Quaerunt sic et obstupescunt
Et respondent, qui cognoscunt
Iesu mirabilia:

4 a. Quis est iste gloriosus
Sua forma, speciosus
Gratuito munere?

4 b. Quid est istud, quo vestitur,
Cur maiestas operitur,
Quae non eget tegmine?

5 a. Haec est vestis illa pia,
Caro sumpta de Maria
Non virili semine.

5 b. Cur est vestis lacerata
Et hinc inde rubricata
Quasi tincta sanguine?

6. Hae sunt plagae, quas portavi,
Hic est sanguis, quem manavi
Moriens pro homine.

7 a. Quis est iste comitatus,
Tam sublimis apparatus,
Quo procedit rex vallatus
Quasi cinctus agmine?

7 b. Hae sunt animae beatae,
De inferno liberatae,
Quae fuerunt captivatae
Pro parentum crimine.

8 a. Ergo cantent in hoc die
Tres caelestes hierarchiae
Nato virginis Mariae
Per laudum praeconia,

8 b. Qui per mortem hostem stravit
Et infernum spoliavit
Et de morte triumphavit
Resurgens in gloria.

9 a. Sic naturam reparavit
Humanam et exaltavit
Et ruinam restauravit
Aequa dans fastigia.

9 b. Nunc ascendit sic patenter,
Caelos penetrat potenter
Et transcendit excellenter
Omnium cacumina.

10 a. Pater stringit, amplexatur
Unigenitum, testatur,
In quo solo iucundatur,
Cui dedit omnia.

10 b. Iam in dextra patris sedet,
Unde stando mentes replet
Et conformes sibi praebet
Tribuens charismata.

11. Rex benigne, nos conforta,
Semper tibi nos concorda,
In te ipsum nos transporta,
Qui adimples omnia.

Sequent. ms. saec. 16 in. Cod. Basileen. ℵ D III 5.

37. In Festo Pentecostes.

1. Laudes

2 a. Summo debitas
genitori immensitas
personet
nationum
per orbem
circumquaque positarum,

2 b. Et filio
ipsius unigenito
concinat
omnis chorus
sanctorum
dulce carmen angelorum.

3 a. Qui de sinu patrio
exiens
carnem induit
alvo clausae virginis,
humanae
pro causa natus salutis.

3 b. Utque suos solveret
nexibus
diabolicis,
mortem fuso sanguine
gustavit
et potenter resurrexit.

4 a. Et assumptam
aetherios carnem
in caelos levans
patris dexterae
iam immortalem iunxerat,

4 b. Mox missurus
fidelibus suo
ascensu multum
condolentibus
olim promissum spiritum.

5 a. Hodie throno
directus patris
sono repentino
corda sanctus
illustravit spiritus.

5 b. Divisionem
quondam linguarum
turrim construentum
modo linguis
adunavit igneis.

6 a. Fiduciam
suis apostolis
donaque
inserens doctrinae,

6 b. Ut populis
fidei monita
spargerent
quadruplo terrarum orbe.

7 a. Te, sancte spiritus,
suppliciter
imploramus voce
concordi
mentibusque devotis.

7 b. Ut, qui paraclitus
altissimi
patris atque nati
vocaris
utriusque communis,

8. Servorum
benignus sis consolator
tuorum.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 3 b, 1 Atque. — 6 b, 4 zwei Silben Ueberschuss wie stets in dieser Mel. — Melodie: Hypodiaconissa.

38. In Festo Pentecostes.

1. Hodie laeti
sancto, carissimi,
gaudio cuncti

2 a. Devotis celebremus
modulis
dulcibusque melodiis
sacratissimum
omnipotentis Dei
diem colamus,

2 b. Quo filius Domini
excelsus,
postquam scandit ad solium
caeli arduum
nostramque carnem ducens
secum captivam,

3 a. Electa suorum
corda apostolorum
aeterni implevit
pneumatis gratia
divina illis ferendo
munera,

3 b. Quo sanctum caelestis
Domini tropaeum
per quadripertitum
veherent orbem
verbumque salutis darent
populis.

4 a. Illorum enim ut
doctrina
debilia sanarent
corpora,
diabolicis
possessos
faucibus eriperent
Deoque darent.

4 b. Mortuos etiam
pristinae
restituerent vitae
socios
idolorumque
ministros
Iesu Christi facerent
fore cultores.

5 a. Tu, amator
sancte caelestium
paraclite charismatum,
altissimi
promissum patris
esse munus crederis.

5 b. Tu prophetis
inspirasti sanctis
tui virtute numinis,
ut Domini
praecinuissent
praeconia inclita.

6 a. Tu casta intactae
genetricis claustra
gratia
implesti gloriosa,
virgo ut pareret
virgoque permaneret.

6 b. Tu patris ad dextram
aureolo sedens
superni
solio trinam regis
passim perituri
creaturam saeculi.

7 a. O paraclite
sacratissime,
nostro horridas
pectori
circumlitas nitore
perenni purga tenebras.

7 b. O paraclite
sacratissime,
nostris infunde
cordibus
veri iubar amoris
tuique fontem luminis.

8 a. Fac in nobis
praeclarum patris sophiae
habitaculum omnibus
depulsis contagiis,

8 b. Ut, cum iudex,
aethereorum dominus,
iudicaturus vagula
advenerit saecula,

9. Nos ne habeat igne
aeterno punire,
sed in paradisi
amoenitate fovere.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 5 b, 5 sq. praeconia praecinuissent. — 8 a, 1 Hac in nobis. — Als Melodie bezeichnet die Hs.: Organa.

39. In Festo Pentecostes.

1. Dignis hodie,
fratres devoti,
praeconiis omnes,

2 a. Gaudiis hilariter
iucundo
atque corde promptissimo
hunc diem cunctis
diebus recolamus
celeberrimum,

2 b. Filius in quo Dei,
excelsus,
postquam alta penetrando
caeli potenter
captivam secum nostram
carnem duxerat,

3 a. Promissum de caelo
sanctum spiritum mittens
in apostolicis
fudit cordibus
divina illis ferendo
munera,

3 b. Ut regis invictum
altithroni triumphum
per quadripertita
orbis climata
vigilarent ac docerent
populos.

4 a. Atque ut illorum
doctrinam
solidarent signorum
munere,
supra spiritus
immundos
expellendi gratiam
contulit summam,

4 b. Mortuosque luce
privatos
restituerent vitae
pristinae
et languoribus
diversis
irretitos redderent
priscae saluti.

5 a. O creator
immense cunctorum,
cum patre simul et nato
coaequalis
et septiformis
Dei dexterae digitus,

5 b. Qui caelesti
procedens a throno
apostolorum interna
illustrando
tui amoris
inflammaveras facibus,

6 a. Tu quondam prophetas
spiraculo tuae
sacrato
virtutis insufflasti,
ut vaticinia
peragerent inclita.

6 b. Tu claustra intactae,
o spiritus alme,
pudica
implesti genetricis,
virgo ut pareret
virgoque persisteret.

7 a. Tu aureolo
summus solio
cum altissimo
patre sedens
imperium perpetuo
universorum retines.

7 b. O paraclite
sacratissime,
te suppliciter
deposcimus,
ut veniam facinorum
dare digneris famulis.

8 a. Tu horrida
pectoris nostri occulta
eliminatis expurga
clementer cunctis sordibus

8 b. Et cordibus
insere veri amoris
dilectionem mentesque
illustra tuo lumine

9. Nosque tibi praeclarum
fac habitaculum
Atque sedem in nobis
tu habeto perennem.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 3 b, Et regis. — 3 b, 5 atque docerent. — Als Melodie bezeichnet die Hs. Organa. Die Sequenz ist augenscheinlich eine Bearbeitung der vorhergehenden.

40. In Festo Pentecostes.

1. Ecce, refulget dies
splendens gaudio,

2 a. Quem spiritus
dedicavit

2 b. Septemplici
charismate

3 a. Et ditans primitus

3 b. Electos milites

4. Apostolos proprios,

5 a. Ecclesiarum
principes,
Victoris Christi
quo portent mirum
orbi tropaeum.

5 b. Sancti spiritus
flamma succensi
qui pectoribus
Corda inflamment
frigida.

6 a. Collegit fratrum
unanimis
hic ordo sermones,

6 b. Quos viri turris
in machina
sparsere stolidi.

7 a. Haec est diei
annua huius

7 b. Celebritas
summique doni,

8. Nostri instar baptismi.

9 a. Haec nostros patres
decalogi
praecepta docuit,

9 b. Aegypti virga
Pharaonis
et lege erutos.

10 a. Nos servitute
scelerum nostrorum
solutos
ipse donat quieti.

10 b. Spiritus alme,
paraclitus noster,
[iam] veni
nostram vitam dirigens.

11 a. Nam tu gemitu
inenarrabili
incendens nostras mentes
reddis supplicantes.

11 b. Patri natoque
compar in numine,
digitus, chrisma dictum,
donum altissimum.

12 a. Expurgatis iam da
facinoribus nostris

12 b. Templum tibi dignum;
spiritus sancte, ne nos

13. Relinquas
orphanos in saeculo,
sed fove iugiter.

Trop. ms Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 9 b, 1 O Aegypti virgo. — 12 a, 1 sq. iam facinoribus notris da. — Melodie: Cignea.

41. De sancto Spiritu.

1 a. Amor patris filiique,
Pax amborum, par utrique,
Genitoris genitique
Veni sancte spiritus.

1 b. Sint inanes de te pleni,
Nos immites mitis leni,
Consolari tristes veni,
Tu qui es paraclitus.

2 a. Sempiterni stilla roris
Et divini ros humoris,
Intus nostrum, nostrum foris,
Fons caelestis, ablue.

2 b. Rivus fontis es paterni
Filiique coaeterni,
Hinc derivans non secerni
Potens fons perpetue.

3 a. Viva vena fontis vivi,
Fontis rivus et fons rivi,
Tu carnalis incentivi
Elevas incendium.

3 b. Qui de patris fonte fluis
Filiique rore pluis,
Seda sitim sisque tuis
Ros et stillicidium.

4 a. Numen es de numine,
Lumen es de lumine,
Flumen es de flumine
Rigans arva mentium.

4 b. Ros es sed perpetuus,
Liquor sed mellifluus,
Rivus sed millefluus
Mentibus credentium.

5 a. Fontis liquor, fons liquoris,
Roris humor, ros humoris,
Meri mera pax amoris
Patris erga filium.

5 b. Indivisae caritati
Solidaeque firmitati
Generantis generati
Nexus, virtus, medium.

6 a. Es de patre par eidem
Filioque par et idem,
Non hic idem sed hoc idem,
Nos haec verba, nos hanc fidem
Docuit ecclesia.

6 b. Ne supremae finis horae
Arguat nos in furore,
Pio patri pio more
Filioque tuo rore
Rigans nos concilia.

Miss. ms. Wratislav. saec. 14. Cod. Wratislav. Civic. R 164. A. — Miss. ms. S. Elisabeth Wratislav. saec. 15. Cod Mus. Silesiaci Fol. I 83 h. B. — 1 b, 1 Sunt AB.

42. De sancto Spiritu.

1 a. Aquilone pulso, veni,
Hortum, auster, flatu leni
Nostrum perfla caelitus.

1 b. Qui tuorum corda mundas,
Munda rigas et fecundas,
Veni, sancte spiritus.

2 a. Veni, lumen intellectus,
Fax amoris, pax affectus,
Informator operum.

2 b. Veni, doctor veritatis,
Veni, dator caritatis,
Distributor munerum.

3 a. Te docente nil obscurum,
Te iubente nihil durum,
Te duce nil devium.

3 b. Si quid foedat nos enorme,
Tui purgat septiforme
Roris beneficium.

4 a. Sapienti vere sapis,
Iste capit, quem tu capis,
Felix, qui te recipit.

4 b. Sano dulcis es palato,
Te recepto, te gustato
Omnis caro desipit.

5 a. Ergo veni, lux iustorum,
Veni, pater orphanorum,
Veni cum muneribus.

5 b. Amor patris filiiqui,
Locum para par utrique
Nobis in caelestibus.

Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521.

43. De sancto Spiritu.

1. Assit nobis divinitus
Gratia sancti spiritus
Nostris inspirans sensibus,
Quod bonum sit volentibus
Fervere suis laudibus.

2 a. Tu vinclum insolubile
Trinitatis essentiae,

2 b. Tu amor deitatis,
Tu calor caritatis.

3 a. Tu fons indeficiens
Omnis sanctitatis,

3 b. Tu mons supereminens
Altae bonitatis.

4 a. Columba tu mitissima,
Tu lingua facundissima
Et magistra vitae,

4 b. Ignis es tu illuminans,
Debilia corroborans
Et accendens mite.

5 a. Tu sordida purificas,
Dissoluta consolidas
Et aspera tu mitigas
Mira suavitate.

5 b. Sanas corda languentia
Ac sublevas iacentia
In imis desperantia
Ingenti puritate.

6 a. Dura tu mollificas,
Mortua vivificas
Ad aeternam vitam;

6 b. Arida rorificas,
Tibi tu pacificas
Animam contritam.

7 a. Tristes tu laetificas
Pavidos et animas
Viriliter resistendum

7 b. Cunctis Christi aemulis,
Ingratos et instruis
Fideles ad imbuendum.

8 a. Ergo, tu altitonans,
Fac, ut tibi consonans
Nostra fiat vita,

8 b. Corda nostra arida
Tuo rore rorida
Solida, ut ita

9. Sint digna habitacula
In saeculorum saecula,
Ad te nos invita.

Collect. ms. saec. 15. Cod. Pragen. I G 39. — 2 a, 1 Tu vinclum dissolubile! — 4 b, 3 accendis.

44. De sanctissima Trinitate.

1. Te decet laus,
pater, qui es dives
in omnibus,

2 a. Sed minor non decet
gloria
te, fili, et spiritus
ignee,

2 b. Quorum potestas est
et opus
simile per saecula
saeculi.

3 a. Nam pater genuit
de sua substantia
genitum;

3 b. Non illum fecerat
tempore volubili
parilem.

4 a. Per quem tempora
condidit omnia
ex nullis subsistentibus
causarum formulis.

4 b. Ipse paternae
gloriae imago,
aeterni luminis splendor,
figura eadem.

5 a. Invisibilis,
quem nullus hominum
mortali
carne conclusus viderat,
rex regum,
dominus caelorum,
trinae formator machinae,

5 b. Artubus tamen
cum patre regnator
supernus
~~~~~~~~~~
~~~~~~~~~~
eruens captivos
dente latronis saucios.

6 a. Sancte spiritus
paraclite,
summe magister
et intime,
largire tuis supplicibus,
ut digne temet laudemus
patri filioque co-
aequalem,

6 b. A quis procedens
non recedis,
sic tu mitteris,
ut dominus
nequaquam esse cessaveris,
unctio pia sanctorum
cordium, expurgator
criminum.

7 a. Haec est trinitas
et unitas,
cum tria sint unum,
et unum sit tria,
pater, genitus
et spiritus.

7 b. Sancta succurre
tuis servis
trinitas maximis
delictis immersis,
fac, spernant saeculi
illecebras

8. Te sequendo
puro ingenio,
o trinitas.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — Melodie: Trinitas.

45. De sanctissima Trinitate.

1 a. In personis pluralitas
Usia fit identitas,
Divinitatis trinitas;

1 b. In ipsis est aequalitas,
Permanet summa veritas
Aequalisque divinitas.

2 a. Summi patris potentia
Natique sapientia,
Paracliti clementia

2 b. In omnibus sunt omnia,
Dant cunctis mirabilia
Trinitatis vestigia.

3 a. Divinus ordo superus,
Pondus, mensura, numerus
Rebus relucent omnibus;

3 b. In rebus exstat veritas,
Bonitas est et unitas,
Unum vestitur pluribus.

4 a. Deum verum, unitatem
Contemplemur, veritatem,
Trinitatis mysteria;

4 b. Hic credamus nostro posse,
Non est nostrum loqui, nosse
De tam sancta materia.

5 a. Profitentes unitatem
Exoremus trinitatem,
Ut remittat vitia

5 b. Et post huius vitae cursum
Donet nobis esse sursum
In aeterna gloria.

Miss. ms. S. Felicis Gerunden. saec. 14. Cod. Gerunden. s. n. A. — Miss. ms. S. Felicis Gerunden. saec. 15. Cod. Gerunden. s. n. B. — 3 a, 1 l. Divinis AB. — 3 a, 2 Pontus A.

46. De sanctissima Trinitate.

1 a. Firmissime
fidem teneamus,
Trinitatis
patrem diligamus,
Qui nos tanto
amore dilexit,
Morti datos
ad vitam erexit,
Ut proprio
nato non parceret,
Sed pro nobis
hunc morti traderet.

1 b. Diligamus
eiusdem filium,
Nobis natum,
nobis propitium,
Qui in forma
Dei cum fuisset,
Atque formam
servi accepisset,
Homo factus
(est) patri oboediens
Et in cruce
fixus ac moriens.

2 a. Diligamus
sanctum paraclitum,
Patris summi
natique spiritum,
Cuius sumus
gratia renati,
Unctione
cuius et signati.

2 b. Nunc igitur
sanctam trinitatem
Veneremur
atque unitatem,
Exoremus,
ut eius gratia
Valeamus
perfrui gloria.

Sequent. ms. Campen. anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2 a, 2 spiritum paraclitum.

47. De Corpore Christi.

1. In exitu miserae
vitae mundi
Est canendum
Alleluia,

2 a. In quo cenam familiae
Dedit Iesus, rex gloriae,
Alleluia.

2 b. Agnus fuit edulium,
Panis Christi mysterium,
Alleluia.

3 a. Nam ephylision panis
Salutem dat christianis,
Alleluia.

3 b. Calix datur testamento,
Qui fit sanguis in momento,
Alleluia.

4 a. Cum manibus ferebatur,
Is commendans esca datur,
Alleluia.

4 b. Cinctus turba duodena
Fuit donum dans in cena,
Alleluia.

5 a. Botrus panem byssi donat,
„Hoc est corpus meum“ sonat,
Alleluia.

5 b. Per hoc corpus celaria
Dantur et caeli gloria,
Alleluia.

6 a. Tegumento specierum
Dedit nobis corpus verum,
Alleluia.

6 b. Miraculo cedit iura
Ibi virtute natura,
Alleluia.

7 a. Hoc ferculo focillatur
Nostra mens et roboratur,
Alleluia.

7 b. Timor, fides, dilectio
Sunt in hoc sacrificio,
Alleluia.

8 a. Et sanctae mentis puritas,
Ut sic credatur veritas,
Alleluia.

8 b. Digne sumat, qui gustabit,
Alioquin mortem dabit,
Alleluia.

9 a. Totum sumit is, qui credit,
Qui non credit is non edit,
Alleluia.

9 b. Hic accidens non mutatur,
Licet subiectum tegatur,
Alleluia.

10 a. Qui hoc credit, meritum
Habet, non interitum,
Alleluia.

10. Nobis donet lux superna,
Ut mereamur aeterna,
Alleluia.

Sequent. ms. Sedunen. saec. 13. add. saec. 13/14. Cod. Capit. Sedunen. s. n. A. — Sequent. ms. Sedunen. saec. 14 et 15. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — Sequent. ms. Sedunen. saec. 15/16. Cod. Capit. Sedunen. s. n. C. — 4 a, 2 commendens A. — Melodie: Ostersequenz „In exitu Israel“.

48. De Corpore Christi.

1 a. Vox iucunda cum favore
Nostrae mentis sit in ore
De pane dominico,

1 b. Quem in sacra mensa cenae
Iesus turbae duodenae
Dedit ab initio.

2 a. Panis iste spiritalis
Panis est angelicus,
Panis est hominum,

2 b. Vere vivus et vitalis,
Gaudeat famelicus
Sumens donarium.

3 a. O Iesu dulcissime,
Panis o suavissime,
Fidelium refectio,

3 b. Verum o nectarium,
Malum contra varium
Sis nostra protectio.

4 a. Munda cordis oculum,
Salva cunctum populum
Per salutis poculum.

4 b. Reformator animarum,
Iesu Christe, nos tuarum
Fac convivas epularum

5 a. In caelesti curia,
Ubi non penuria
Manet vel corruptio.

5 b. Iesu bone, panis vere,
Fac nos ipsum te videre
In caeli palatio.

Miss. ms. Raitenbuchen. saec. 15. Clm. Monacen. 12204. — 2b, 3 Digne sumens. — Die Entlehnungen von 1b und 5b sind augenfällig.

49. In Die Corporis Christi.

1 a. In honore Iesu Christi
Laus praeclara detur isti
Festo cum laetitia.

1 b. Iesu bone, quos novisti
Tuos, cruce redemisti
Hostis a malitia.

2 a. Prima causa, Deus, rerum,
Verbum patris semper verum,
Totus in potentia,

2 b. Non localis regnans tantus,
Angelorum chorus „Sanctus"
Exaudit frequentia.

3 a. Luce clarus vult aequari
Summo casu, condemnari
Meretur complicibus.

3 b. Formam factus ad divinam
Homo sentit et ruinam
Vetitis radicibus.

4 a. Ecce, virtus deitatis
Ardet, ecce, caritatis;
Mirando commercio

4 b. Rosa florum impraegnatur,
Verbum patris incarnatur,
Resurgit plasmatio.

5 a. Corpus Christi panis vivus,
Sanguis eius fons et rivus,
Salutis progressio;

5 b. Cibus datus peccatori
Se maritat, dum sapori
Dolor et confessio.

6 a. Post emendam gratulatur,
Mentis menda cancellatur,
Inardescit spiritus;

6 b. Potu crucis sanguinatur,
Totus intra dulcoratur,
Exsultat divinitus.

7 a. Felix homo, praeparare
Deum semper collaudare
Pro tali convivio,

7 b. Quo salvaris dira morte,
Revocatus dura sorte
Crucis in patibulo.

8 a. Est origo tua lutum,
Finis et foetoris sputum,
Haec sint in memoria;

8 b. Corde trito Deum cole,
Corpus Christi digne mole,
Ne priveris gloria.

9 a. Epulemur compotantes,
Ipsi nos diiudicantes,
Ne fiat iudicium,

9 b. In secundo quod adventu
Damnandorum pro conventu
Exit ad supplicium.

10 a. Animarum esus vere,
Fac nos tibi commanere
Caeli reclusorio.

10 b. Virgo mater hoc precetur,
Ne sanctorum denegetur
Nobis adiutorio.

Grad. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Colonien. i. P. s. n. — Auf dem Lederdeckel des neuen Einbandes: „Ioannes Arnoldus ab Houven, Abbas. Anno 1751."

50. De Corpore Christi.

1 a. Sacramentum
Hodie colitur,
Nutrimentum,
Quo mens reficitur,
Alleluia.

1 b. Ad augmentum
Gratiae sumitur,
Firmamentum
Virtutis creditur,
Alleluia.

2 a. Cibus iste
Carnis et sanguinis
Tui, Christe,
Fons est dulcedinis,
Alleluia.

2 b. His donis te
Sapit cor hominis,
In quo triste
Nil est vel criminis,
Alleluia.

3 a. Totum sumit
Sub una specie
Nec consumit
Auctorem gloriae,
Alleluia.

3 b. Non praesumit
Cum superficie,
Dum assumit
Hunc scindi varie,
Alleluia.

4 a. Esca talis,
Quae nunquam deficit,
Nocet malis,
Sed bonis proficit,
Alleluia.

4 b. Quae vel qualis
Sit, loqui deficit,
Supernalis
Virtus hanc efficit,
Alleluia.

5 a. Hunc gustemus
Praeclarum calicem
Et laudemus
Deum opificem,
Alleluia.

5 b. Adoremus
Christum pontificem,
Ut regnemus
In caelis invicem,
Alleluia.

Miss. Ruthenense imp. Lugduni s. a. [1540] A. — Miss Parisien. imp. Parisiis 1585 B. — 3a, 2 Sub bina A.

51. In Festo Corporis Christi.

R° Ave, verum corpus, natum
De Maria virgine.

1 a. Stella duce demonstratum
Regibus in stramine;

1 b. Iusto seni praesentatum
Laeto consolamine.

2a. Omni laude praedicatum
Veritatis famine,

2b. Iuxta legem conversatum
Et caelesti lumine.

3a. Verbo vitae transformatum
In caelesti rumine,

3b. Hic in cibum nobis datum
Gratiae pinguedine.

4a. Fidelibus sociatum
Caritatis ordine,

4b. Dure passum, immolatum
In cruce pro homine.

5a. Truci manu perforatum
Iusto fluens sanguine

5b. Et post mortem tumulatum
Planctus magnitudine.

6a. Die Paschae suscitatum
Cum sanctorum agmine,

6b. Nube clarum sublevatum
De mundi vertigine.

7a. In cunctorum situatum
Aeterno regimine.

7b. Ergo mitte tuum flatum
De paterno numine,

8. Esto nobis praegustatum,
Salus in discrimine,

9a. O dulcis,

9b. O clemens,

10a. O pie,

10b. O felix,

11a. O summe,

11b. O pater,

12a. O digne,

12b. O fili

13. Virginis Mariae.

Miss. ms. Avenionen. saec. 14/15. Cod. Matriten. Ff 2. — 5a, 1 Cruci.

52. De Corpore Christi.

1. Ave, corpus Iesu Christi,
In ara crucis te obtulisti
Ob salvandum hominem.

2a. Salve, sanguis Iesu Christi,
Qui de latere emanasti
In redemptionem.

2b. Tu es sanguis pretiosus,
Per quem victus est dolosus
Serpens, fallens hominem.

3a. Ave, Iesu Christi sanguis,
Per te victus vetus anguis
In infernum cadens stagnis,
Lapsum reddit hominem.

3b. Tu es sanguis pretiosus,
Per quem victus est dolosus
Serpens, nequam, tam virosus,
Perdens fortitudinem.

4a. Rex caelorum, tuum sinis
Caput coronari spinis,
Et corona dira nimis
Te ferentem comprimit.

4b. Tua membra flagellantur,
Manus, pedes perforantur,
Omnes artus cruciantur,
Mucro latus aperit.

5a. Aqua, sanguis hinc emanat,
Sauciatos vere sanat,
Tuas laudes plebs explanat
Neumatis charismate.

5b. Cuius caro iustos pavit,
Sacer sanguis sordes lavit
Et redemit, quos creavit
In sacro baptismate.

Miss. ms. Lincolnien. saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — Str. 3 a u. 3 b sind Erweiterungen von 2 a und 2 b. Ob dieselben schon ursprünglich der Sequenz eigen waren, oder ob Str. 2 a und 2 b spätere Einschiebsel sind, bleibt zweifelhaft.

53. De Corpore Christi.

1 a. Corpus nostri salvatoris
Et aeterni redemptoris
Celebret ecclesia,

1 b. Panis vivus qui de caelis
Missus ore Gabrielis
Cum magna laetitia.

2 a. Hic est panis gloriosus,
Summis summe gratiosus,
Mira dans solamina;

2 b. Hic est panis, qui descendit
Et post mortem caelos scandit
Cum summa militia.

3 a. Panis cenae praesentatus
Fuit nobis et donatus
Manu sapientiae.

3 b. Panis felix, triumphalis,
Titulus caelestialis,
Rex misericordiae.

4 a. Panis animas defendens
Nostras semper et protegens
Ab hoste superbiae.

4 b. Panis cibus angelorum,
Toti cenae beatorum
Dat regina gloriae.

5 a. Panis obvians ruinae
Terris plebis peregrinae
Adversando daemoni.

5 b. Panis, qui sanat languores
Et aufert nostros dolores
Huius mundi miseri.

6 a. Panis, qui ducit ad portum
Et praeparat nobis hortum
Optimum delicii.

6 b. Panis, qui dat paradisum
Et ostendit Deum vivum
Superni palatii.

Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. A. — Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. B. — Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. C. — 6 b, 2 1. Deum (oder Dei) visum? Der Reim ist freilich auch sonst nicht immer rein.

54. De Corpore Christi.

1 a. Gaudentes cantemus
Hodie voce clara,

1 b. Cum tubis organa,
Fidelis chorus, para.

2 a. Res admiranda
Nobis proponitur,

2 b. Nam corpus Christi
Panis efficitur.

3 a. Vinum mutatur in Christi
Verum sanguinem,

3 b. Hic a peccatis omnibus
Lavit hominem.

4 a. Facta sunt praedicta
Non natura,

4 b. Sed ex voluntate
Dei pura.

5. Gratulari in altari
Non cessemus, sed cantemus
Alleluia.

Prosar. ms. Gulielmi Lovel anni 1572. Cod. Ambianen. 132. A. — Miss. Parisien. imp. Parisiis 1585. B. — 2 a, 1 Res miranda B.

55. De Corpore Christi.

1 a. O Messia vere, Christe,
Plenus Dei gratia,

1 b. Qui de caelo descendisti
Donans nobis gaudia.

2 a. Caro tua, quam tulisti
De virgine veraciter,

2 b. Hic sacratur, qua damnatur
Serpens efficaciter.

3 a. Hoc est corpus, quod Maria
Concepit de flamine,

3 b. Quod portavit virgo pia
Divino spiramine.

4 a. Haec est caro clavis fixa
Crucis in patibulo,

4 b. Quae surrexit crucifixa
Vitam reddens saeculo.

5 a. Hunc Mariae filium
Laudemus magnificum,

5 b. Regi regum omnium
Cantemus plausificum,

6. Qui nostrorum scelerum
Nobis det remedium.

Miss. ms. Lincolnien. saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — 2a, 1 Caro tui. — 6, 2 Nobis donet. — Melodie wahrscheinlich: Sospitati dedit aegros. Vgl. die folgende Nummer.

56. De Corpore Christi.

1 a. Voci vita
Sit unita
Legis amicitia,

1 b. Dum sacratur,
Quod damnatur
Peccati malitia,

2 a. Caro panis, sanguis vinum
Dum fiunt veraciter,

2 b. Quod delevit serpentinum
Virus efficaciter.

3 a. Hoc est corpus Christi verum
Natum matre virgine,

3 b. Quod contrivit hostem ferum
Salvato sic homine.

4 a. Hoc in cruce
Sexta luce
Passum vicit infera;

4 b. Hoc surrexit
Et evexit
Carnem super aethera.

5 a. Hic est cibus, hic est potus
Dans manna vivificum.

5 b. Unde chorus hic devotus
Concinat plausificum

6. Alleluia.

Sequent. ms. S. Georgii Villingen. saec. 15. Cod. Carolsruhan. Geo. 3. A. — Grad. Sarisberien. saec. 15. Cod. Londin. Harl. 3965. B. — Cantion. Gallic. saec. 13. Cod. Guelfenb. 677 (Helm. 628) C. — 1 a, 1 Voce C. — 3 b, 1 Hoc prostravit C. — 3 b, 2 Salvato sub C. — 4 a, 1 Hoc mucrone A. — 4 b, 2 super sidera C. — 5 a, 1 Hic est botrus hic C. — 5 a, 2 mirificum B. — 5 b, 2 pacificum B. — 6. Hosanna in excelsis AC. — In C ist Vorstehendes als Tropus zum Sanctus benützt, und es geht voraus das Sanctus bis zu den Worten „in nomine Domini"; dementsprechend ist dann der Schlufs „Hosanna in excelsis". — B bietet die Melodie: Sospitati dedit aegros.

57. Vita Domini.

1 a. Puer nobis nascitur,
Filius conceditur,
Gaudeamus hodie.

1 b. In praesaepe ponitur
Pannisque involvitur,
Vagit rex potentiae.

2a. Stella Iacob oritur,
Sol de luna nascitur,
Res fulgent eximiae.

2b. Lux nube progreditur,
Spina flos producitur
Dulcoris et gratiae.

3a. A rivo fons trahitur,
Quo cunctis protenditur
Viva vena veniae.

3b. Sicut nobis canitur,
Rubus igne cingitur
Sed expers angustiae.

4a. In scriptura legitur:
Ros in vellus funditur
Nil passum molestiae.

4b. Castellum non laeditur,
Quod Iesus ingreditur,
Gigas excellentiae.

5a. Neque porta panditur,
Qua Christus egreditur,
Verus sol iustitiae.

5b. Puer circumciditur,
Parvo lacte pascitur
Panis subsistentiae.

6a. Tribus magis quaeritur,
Pauperculus colitur
Donis condecentiae.

6b. Senis ulnis geritur
Et legali subditur
Homo novus hostiae.

7a. Iordane abluitur,
Temptatur, adfligitur
Ieiunans esurie.

7b. O, pastor percutitur,
Novellae dispergitur
Grex totus ecclesiae.

8a. O, templum dissolvitur,
Traditus illuditur
Agnus innocentiae.

8b. Passus crucifigitur,
Hora nona moritur,
Flete, Sion filiae.

9a. Infernus infringitur,
Populus eripitur
De lacu miseriae.

9b. Morte mors destruitur,
Fidelibus redditur
Summae vita patriae.

10a. Sepultus custoditur,
Victor non invenitur
Surgens tertia die,

10b. Qua salus tribuitur,
Captivus redimitur,
Haec dies laetitiae.

11a. Mariae ostenditur,
Qui fratribus vehitur
Gaudium victoriae.

11b. Ad caelos assumitur,
Paracletus mittitur,
Dantur linguae variae.

12a. Quod veniet, creditur,
Et tunc condemnabitur,
Qui vixerit impie;

12b. Sed iustus salvabitur
Atque coronabitur
In aeterna requie,

13. Ubi Deus laudabitur,
Amabitur, videbitur
Revelata facie.

Oration. et Sequentiar. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. — 2b, 2 De spina. — Die Überschrift „In Nativitate Domini“ paſst weniger zum Inhalt.

58. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Christe, dominator
caelestis
et possessor aulae,

2a. Servorum suscipe
supplicum

2b. Devota tuorum
carmina,

3a. Quae tuae laudi
ascribunt
~~~~~~~~~~~~~~~~~~
voce, sensibus.

3b. Te legiones
superae
collaudant excelso praeconio
tibi debito.

* * *

4. Unanimis ecclesia
nostrae domus
habitatrix,
reddit laudes
et munia.

5. Tuo honori rutilat
haec aula compta lumine

6. Cursu diei huius volubili,
quam velis adventu
benigno
visitare tua gratia.

7. Tunc festa nostra prosperant,
dignatio
inclinatur
alma tua
si ad ea.

8. Civitatis Ierusalem
pro huius festi gloria

9. Mereamur concives fieri
templum et Domini;
largiatur
omnipotens, castitatis

10. habitator.

Trop. ms. Sedunense saec. 10. Cod. Londinen. Add. 19768. A. — Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. B. — 6, 1 huius diei A. — 6, 4 tuae gratiae A. — 7, 1 Nunc festa B. — Melodie: Duo tres. Diese Melodie ist sehr unregelmäſsig gebaut; parallel sind 4 mit 7, 5 mit 8, 6 mit 9. Vgl. Schubiger Nr. 13.

59. In Dedicatione Ecclesiae.

1. Benedic, Domine,
domum istam,
quae aedificata est
nomini tuo.

2a. Respice de caelo
et vide et visita
domum istam,
Domine.

2b. In ea omnis,
qui petit, accipiet
ianuaque pulsanti
pateat.
~~~~~~~~~~~~~~~~~~

3 a. Haec est Ierusalem
sancta tua,
Domine,

3 b. Ipsa namque
est electa
civitas.

4 a. Gloriosa sunt de te
enim dicta,
civitas Dei,
quae sanctificata est
per tuam sanctam dexteram.

4 b. Per ipsius ianuam
ecclesiae
pervenire possimus
ad paradisi gaudia
simul omnes.

Grad. ms. Ravennatense saec. 11. Cod. Capit. Patavini A. 47. — 4a, 1 est de te. — Die Neumen lassen erkennen, dafs der Parallelismus der Sequenz ein sehr unvollkommener ist.

60. In Dedicatione Ecclesiae.

1 a. Congaudentes iubilemus
Harmoniae novum genus
Concordi melodia;

1 b. Deponamus vetus onus,
Dulcisque resultet sonus
Ex nostra concordia.

2 a. Templum Christi veneremur,
Ne ab eius defraudemur
Fidei victoria;

2 b. Nam in petra iam fundatum
Permanebit roboratum
Per immensa saecula.

3 a. Non venti simulatorum,
Non aquae haereticorum,
Neque suorum fautorum
Infamis audacia

3 b. Praevalebunt destruere
Neque portas removere,
Quia vivit Christus vere,
Qui fundavit talia.

4 a. Christus petra nuncupatur,
Quae in scandalum paratur
Ei offendentibus;

4 b. Pater vero demonstratur
Gloriamque praemiatur
Sibi adhaerentibus.

5 a. Ergo deprecemur Christum,
Ut locum conservet istum
Matris nostrae ecclesiae,

5 b. Ut in sponso suo iuncta
Noxia repellat cuncta
Conservetque assidue.

6 a. Sicut ex Adae fit costa
Eva, sic ecclesia nostra
Fit ex Christi latere,

6 b. A quo cuncta sacramenta
Sua sumunt fundamenta
Dantque locum veniae.

7 a. Iesu bone, pastor vere,
Templum istud tu tuere,
Nobis quoque miserere
Nostra delens crimina,

7 b. Ut post vitam corporalem
Mereamur spiritalem,
Consequamur aeternalem
In caelesti patria.

Miss. ms. Caesaraugustan. saec. 15. Cod. Reg. Matriten. VII F 3. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485 B. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498 C. — Brev. Caesaraugustan. imp. Venetis 1496 D. — 1 b, 3 Et nostra A. — 4 a, 2 in fehlt ABCD; l. vielleicht escandalum, wie dieses Vorschlags-e in den mozarabischen Hymnen uns oft begegnete. — 5 b, 1 Ut sit sponso AB. — 7 b, 3 consequamurque AB.

61. In Dedicatione Ecclesiae apostolorum Simonis et Iudae.

1. Regem regum,

2 a. Sion dominatorem
atque manu
fortem David,

2 b. Caelestis Ierusalem
possessorem,
Salomonem,

3 a. Virgo perennis,
casta parens
et fecunda
laudat ecclesia,

3 b. Huius in aula
dedicata
caste nupta
suo pacifico.

4 a. Haec regis
ducta lecto
de deserto
Idumaeae

4 b. Fit templum
per prudentes
architectos
vivi Dei,

5 a. Ipsa praesentia
deitatis
quos replet scientia.

5 b. Quorum collegio
sanctissimo
Simonis atque Iudae

6 a. Annuis gaudemus
natalitiis,

6 b. Quis et haec honori
rutilat aula.

7 a. Hos tam laudabiles
procuratores,

7 b. Rerum effectores
mirabilium,

8 a. Ipse Christus suis
Herveldensibus

8 b. Eois misertus
misit finibus.

9 a. Eia, congeminatis
laetabundi
resonemus gaudiis

9 b. Hac domo trinitatis,
cantilenis
harmoniae dulcibus

10. Omnium sanctificatori Domino.

Grad. ms. Hervelden. saec. 12. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 55. — 8 b, 1 miseratus.

62. Die Dominica.

1 a. Gaude, plebs fidelium,
Die, qua rex omnium
Mundum inchoavit;

1 b. Hac in die iubila,
Qua mundana nubila
Idem effugavit.

2 a. Haec est dies triumphalis,
Mundo grata perdito,
Dans solamen nostris malis
Hoste iugo subdito.

2 b. Haec est dies specialis
Tanto nitens radio,
Quod peccati fit finalis
Mali malo irrito,

3 a. Cum surrexit homo Deus,
Quo salvatur homo reus
Et tendit ad gloriam.

3 b. In hac die caelitus
Missus est paraclitus
Dans linguarum gratiam.

4 a. Hac in die iucundemur
Hanc et plene veneremur
Novi ritu cantici;

4 b. Haec est dies decorata
Et honore sublimata
Nominis dominici.

5 a. Deus, diem hanc qui fecit
Et diebus hanc praefecit,
Nos in bono roboret;

5 b. Tali die qui surrexit,
Sanctum flamen mundo vexit,
Nos a malo liberet.

Grad. ms. Patavinum saec. 15. Cod. Capit. Patavin. A 29. — 5 b, 1 Ut tali. — 5 b, 2 Et sanctum.

63. Die Dominica.

1 a. A sublimi
Statu primi
Parentes exciderant,

1 b. Casu digni,
Quia ligni
Fructum non exceperant.

2 a. Circumventi
Virulenti
Serpentis astutia,

2 b. Spe delusi
Sunt conclusi
Sub mortis sententia.

3 a. Pro reatu
Cruciatu
Fatigantur miseri;

3 b. Obligati
Sub peccati
Lege gemunt posteri.

4 a. Ex radice vitiata,
Praedamnata necdum nata,
Procedit posteritas;

4 b. Plangit Eva sub ruina,
Plangit Adam, nec divina
Dormitat severitas.

5 a. Fallax fera,
Viru plena,
Gaudet planctu,
Gaudet poena,
Poenae poenas ingerit,

5 b. Caecos caedit,
Laesos laedit,
Compos voti,
Quod sic toti
Massae praenocuerit.

6 a. Se pro Deo rogat coli
Tyranni superbia;

6 b. Quod debetur Deo soli,
Praesumit malitia.

7 a. Draco vetus libertatis
Intercludit aditum

7 b. Nec supernae pietatis
Attendit propositum.

8 a. Nobis ergo desperatis
A consessu maiestatis
Pater misit unicum;

8 b. Pugnaturus cum gigante
Nos ad pugnam provocante
Processit in publicum.

9 a. Summi patris filius,
Nostrae cladis conscius,
Dum superbit impius
Et pauper incenditur,

9 b. Ut superbum conterat,
Carni se confoederat;
Sic captivos liberat,
Sic ars arte luditur.

10 a. Pater, fili, consolator,
Unus Deus, unus dator
Multiformis gratiae,

10 b. Solo nutu pietatis
Fac nos simplae trinitatis
Post spem frui specie.

Oration. et Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien 521. — 1 a, 2 Casu primi. — 5 a, 1 Fala ferax.

64. Pro Defunctis.

1 a. Homo, natus in hoc mundo,
Parum vivis in profundo
Veteris miseriae.

1 b. Ut flos exis, sectus ares,
Primum fulges, post non pares,
Debilis materiae.

2 a. Vile semen in ingressu,
Vas immundum in progressu,
Vermis cibus in egressu.

2 b. Quid superbis, terra, cinis?
Sordes, ecce, plagis trinis,
Recordare semper finis.

3 a. Ergo comple iussa Dei
Sic post mortem iunctus ei
Caelo vives permansurus.

3 b. Hic quod seris, illic metes,
Dum tribunal Christi petes
De talento responsurus.

4 a. Iesu, sator et creator,
Finis rerum, lumen verum,
Vita defunctorum,

4 b. Ipsis lucem sempiternam
Confer clemens et aeternam
Requiem laborum.

Grad. ms. Parmen. anni 1520. Cod. Cathedral. Parmen. s. n. A. — Miss. Roman imp. Venetiis (ap. Hieron. Scotum) s. a. B. — 2 a, 1 semen es ingressu A. — 2 b, 2 Sordes plagis ecce A. — 3 a, 2 mortem vivet ei A. — In B nach dem „Dies irae“ mit der Bemerkung „Alia sequentia mortuorum.“

65. Pro Defunctis.

1 a. Veni, iudex gentium,
Veni, rex fidelium
Concede, quod petimus;

1 b. Tolle, quod peccavimus,
Et dona, quod sitimus,
Lucis tuae radium.

2 a. Flentibus solacium,
Sol radians cordium,
Polorum des bravia,

2 b. Redemptis caelestia
Animabus gaudia,
Uncte sacro flamine,

3 a. In sanctorum agmine,
In perenni requie
Tremendae trinitatis.

3 b. O dies pietatis,
O tremor deitatis,
Est tuum iudicium

4 a. Mali poena, praemium
Boni, non est dubium,
In aeterna gloria.

4 b. Amara dies illa,
Tunc orbis in favilla
Dies calamitatum.

5 a. Animae fidelium,
Redemptor rex omnium,
Fruantur caelestibus,

5 b. Caelestium precibus,
Christianis vocibus
Requiescant in pace.

Grad. ms. S. Nicolai Friburgen. saec. 15. Cod. Friburgen. s. n. — 2 a, 2 radiens. — 4 a, 1 poenam. — 4 b, 3 calamitatis. — Die Schlufszeile jeder Halbstrophe reimt mit den Anfangszeilen der jedesmal folgenden; freilich ist der Reim nicht immer rein (z. B. 3 a, 1 u. 2; 4 a, 3 u. 4 b, 1); danach ist die Textänderung in 4 b, 3 zu beurteilen. — Melodie: Veni sancte Spiritus.

66. Missa contra Paganos.

1 a. Princeps pacis optime,
Vera quies animae,
Nostra pax et gloria,

1 b. Pugil invictissime,
Iesu clementissime,
Audi nos aure pia.

2 a. Modernis temporibus
Nos in istis finibus
Bella premunt nimium;

2 b. Quare totis nisibus
Ad te clamat precibus
Hoc praesens collegium.

3 a. Da pacem propitius,
Hostes pelle longius,
Purga nos a crimine;

3 b. Victor potens, alius
Non est pugnans melius,
Quam tu solus, Domine.

4 a. Mundus pacem tribuit,
Quae nocet et nocuit;
Nos illam non quaerimus,

4 b. Sed pacem, quae placuit
Sanctis, quibus profuit;
Sic salvi nos erimus.

5 a. Pax aeterna, caritas,
Deus, summa bonitas,
Gregem eripe tuum.

5 b. His oris sit unitas
Ac nobis securitas
Nunc et in perpetuum.

Miss. ms. Celliten. Gandaven. saec. 15. Cod. Londin. Egert. 2602. A. — Grad. ms. S. Bavonis saec. 15. Cod. Gandaven. 14. B. — Miss. Tornacen. imp. Parisiis 1498. C. — 4 a, 2 nocet non nocuit A. — Melodie offenbar: Veni sancte Spiritus.

II.

DE BEATA.

---

67. In Conceptione BMV.

1 a. Astra caeli resplendeant,
Nunc sol et luna clareant,
Stella maris oritur,

1 b. Quae Christi fert navigium,
Quae caeli dat vestigium,
Per quod ad portum itur.

2 a. Reges, gentes ambulabunt,
Omnes fideles navigabunt
Splendore huius ortus,

2 b. Per quem lumen de lumine,
Numen venit de numine,
Hic est salutis portus.

3 a. En, alma mater veniet,
Ex qua splendor eminet
Ac lux patris aeterni,

3 b. Quae illustrat omnem hominem,
Senem atque iuvenem,
Ex gratia perenni.

4 a. Dat viam pacis gratiae
Et statum verae patriae
Nec non regni caelestis,

4 b. Ubi vera laetitia,
Nec aliqua tristitia
Deinceps erit maestis.

5 a. Virgo, vitis vinarium
Panisque promptuarium
Et adipis frumentum,

5 b. Per quod potus datur vitae,
Per quod manna venit rite
Et vivax alimentum.

6 a. In nos sere castos mores
Et fervores ac calores
Nostrae carnis remove

6 b. Et amore castitatis
Et fervore caritatis
Tuo nato confove.

7 a. In hoc novo tuo festo,
Virgo, nobis nunc adesto
Et in mortis turbine,

7 b. In extremis ne damnemur,
Sed in caelis collocemur
Gratioso semine.

8 a. O veri solis aurora,
Veni, veni sine mora,
Cum mori est necesse,

8 b. Tuere nos et libera,
Tunc, virgo salutifera,
Noli nobis deesse.

Miss. ms. Praedicatorum saec. 13. Cod. Bambergen. Ed. VI 5. add saec. 14/15. A. — Missale Wirceburgense imp. 14** [Herbipoli 1495?] B. — In Str. 3 a und b ist Nummerus und Reim nicht rein wie in den anderen Strophen; dieselben sind vielleicht eingeschoben. — 4 b, 3 maestus A. — 8 a, 2 das zweite veni fehlt AB.

68. In Conceptione BMV.

1 a. Alma Iesse
Stirps virescit rorida,

1 b. Et in esse
Virgo prodit florida,

2 a. Vitae fructum paritura;
Anna prole cum tam pura
Fecundari cernitur,

2 b. Cuius castitatis velo
Sol aeternus se de caelo
Reclinans instruitur.

3 a. Huius natae per conflictum
Ruit Evae vae inflictum
Serpentis invidia,

3 b. Cuius caput ipsa trivit
Et calcaneum munivit
Ab eius insidia.

4 a. Arca novae legis, Anna,
Claudis urnam caeli manna
Continentem verius,

4 b. Prudens abra castae Iudith,
Holofernem quae deludit,
Assistis sincerius.

5 a. Cum verbigeram superni
Patris uteri materni
Concipis opaculo

5 b. Atque gignis, generosam
Profers velut spina rosam,
Mundam a piaculo.

6 a. O laetare, felix spina,
Caeli mundique regina
Cuius alvo nascitur,

6 b. Gaude, gaude, rosa praegnans,
Cuius lacte caelo regnans
Hic in terris pascitur.

7 a. Gaude, clemens, gaude, pia,
Gaude, dulcis o Maria,
Tanto digna filio;

7 b. Eia, parens, eia, nata,
Eia, sponsa Christi grata,
Duc nos ab exsilio

8. Ad caeli laeta
Secreta.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319. Cod. Wratislavien. I F 385. A. — Miss. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1407. Cod. Wratislavien. I F 341. B. — 2 a, 1 Ut te fructum B. — 3 a, 1 Cuius A. — 4 b, 1 casta AB. — 4 b, 2 quem B. — 5 b, 2 Profert B. — 6 a, 1 E laetare B.

69. In Conceptione BMV.

1 a. Laudes promat nisu toto
Plebs fidelis voce, voto,
Corde, mentis iubilo;

1 b. Sancta templi velum tegit,
Dei mons sub nube degit,
Sol latet sub nubilo.

2 a. Annae ventris arca celat
Feminam, quae carne velat
Virum viri nescia;

2 b. Donat virgam radix Iesse,
Virga fervet fructu messe
Redundante gratia.

3 a. Haec maxillae fons Samsonis,
Favus fluens miris donis
Copia charismatum,

3 b. Templum veri Salomonis,
Aula summis plena donis
Et domus aromatum.

4 a. Helizaei parva cella,
Ante, post clausa, procella,
Per quam unctus graditur,

4 b. Radium sic profert stella,
Illibata fit puella,
Ex qua Deus nascitur.

5 a. Fabricatur mensa rite,
In qua sistit panis vitae
Cor firmans humilium,

5 b. Cibus cibum dat Heliae,
Datur vas in potum viae
Tollens mortis taedium.

6 a. Patet arcus pietatis
Sternens hostem feritatis
In sagitta filio,

6 b. Pharetra divinitatis,
Donans partem cum beatis
In Ioseph peculio.

7 a. Saccus scyphum sacrum reddat,
Ex quo potum vitae prendat
Vere Deum diligens,

7 b. Ex oliva liquor tendat,
Iugis ignis nos accendat
Lucens, docens, dirigens.

8 a. Virgo mater, mater Dei,
Per te fiunt salvi rei,
Iustis datur gratia;

8 b. Nos in anno iubilaei
Sempiternae lux diei
Perlustret in gloria.

Sequent. ms. cum Commento saec. 15. Cod. Wratislavien. IV Q 81. — 4b, 1 profert virgo stella. — 5b, 1 Lies corvus cibum? — 8b, 3 Perlustrat.

70. In Conceptione BMV.

1 a. Iubilemus iucundanter
Laeta mente incessanter
Adorantes Dominum,

1 b. Qui hoc festum celebrari
Ac decenter honorari
In salutem hominum

2 a. Praeelegit et dotavit,
In quo matrem expiavit
Ab omni piaculo.

2 b. Hoc prophetae propalabant,
Patriarchae enodabant
Codicum oraculo,

3 a. Quae per vates nuntiata
In te sunt ratificata,
Maria, divinitus.

3 b. Cum tis infecundus pater
Et grandaeva tua mater
Per angelum caelitus

4 a. Sunt effecti adlocuti,
De concepto fetu tuti
Divino spiramine,

4 b. Nutu Dei quique parens
Constitutus Deo parens
Laetus a solamine.

5 a. Arca Dei Noetiva
Et columba cum oliva,
Vera pacis nuntia,

5 b. Pulchra Sara nobis ridens,
Sibi risum dari videns
Isaac ex gratia.

6 a. Hesther uxor tu Asueri,
Per quem Aman contorqueri
Meruit suspendio,

6 b. Audi, pia, ne gravemur
Et in aevum cruciemur
Gehennae succendio.

7 a. Ab antiquis praeconisata,
Per aenigma praesignata
Es, o Iesse virgula.

7 b. Eia, David Sunamitis,
Fons signatus, vera vitis,
Iesu Christi vehicula.

8 a. O amica pulchra tota,
Carens naevo atque nota,
Speculum abs macula,

8 b. Sponsa prudens Salomonis,
Vellus madens Gedeonis,
Vernans ignis facula.

9 a. Iesus Christus praeservavit,
Quod sibi praedestinavit,
Vas purum a vitio,

9 b. In quo homo incarnari
Et in mundum generari
Novit ab initio.

10 a. Hac in die, qua concepta
Dei materque adepta
Ac undique circumsaepta
Septemplici gratia,

10 b. Summo bono fallerata
Et ab aevo propagata,
Abs labe in mundum nata
Est carens pellacia.

11a. Cum haec dies in diebus
Lucet prae stellis ut Phebus
Miris signis atque rebus
Omnibus sanctissima.

11a. Hanc illuxit sol de caelo
Et velavit divo velo
Confirmando sacro zelo,
O dies clarissima!

12a. Q quam clara dies illa,
In qua mater et ancilla
Nova pneumatis scintilla
Supplantavit noxia;

12b. Dies nimis veneranda
Ac prae cunctis illustranda,
Digna laude commendanda,
Per quam redit gratia.

13a. O zelatrix, vegetare,
Ne nos sinas vapulare,
Saevum hostem conculcare
Te precamur, sustentare,
Ostendens solacia.

13b. Hastam vibra, sterne funda,
Peltam sume, sola munda,
Ne pellacis Stygis unda
Demergendo ad profunda
Attrahat fallacia.

14a. O Maria pura, vera
Iesu Christi puerpera,
Asta fortis in statera,
Corda nostra fac sincera,
Perduc ad convivium.

14b. Munda vitam, muta mores,
Post pressuram et labores
Huius festi laudatores
Introducas ad honores
Supernorum civium.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 3b, 1 Cunctis infecundis pater. — 6a, 2 Amon. — 6b, 3 Gehenni. — 7a, 1 Lies praeconata? — 7b, 3 Eine Silbe Überschufs. — 10b, 4 Ast carens. — 13b, 4 Dimergendo. — 14b, 4 Introduces. — Melodie: Laudes crucis unter Wiederholung einiger Klauseln.

71. In Conceptione BMV.

1a. Tota pulchra es,
virgo sacrata,
Nunquam labe aliqua
es maculata.

1b. Plena gratia
fuit concepta,
A patre mundissima
est generata.

2a. Quo anima inducitur
a praeservante,
Sic ei conceditur
a celebrante,

2b. Et tali aspiramine
Spiritus sancti
. . . .
. . . .

3a. Angelis est purior,
recte Maria
Creaturis dignior
atque in patria

3b. Deo est propinquior,
omnibus pia,
Cunctisque sublimior
alta in curia.

4a. Detur ista die
populi devotio,
Detque ipsa die
gloriam pro praemio,

4b. Quae Christum portavit
pollens privilegio,
Quae concepit nunquam,
valuit in utero.

Brev. ms. Gerundense saec. 14/15. Cod. Capit. Gerunden. 3. add. saec. 15. — 2a, 2 praeservanti. — 2a, 4 celebranti. — 2b, 1 talia spiramine. — 4b, 3 Qui.

72. In Conceptione BMV.

1 a. Totus mundus hilarescat
Ex ingenti gaudio
Et fidorum mens ardescat
Virtutum incendio
In Mariae laudibus.

1 b. Maria concepta fuit
Divino consilio,
Ac potestas Orci ruit,
El fit mater filio
Pro nobis exsulibus.

2 a. Haec fuit sanctificata
Ex virtute supera,
Mox cum fuit obligata
Intra matris viscera
Culpae carnis labilis.

2 b. Nunquam tamen ex tunc laesit
Ulla culpae gravitas
Hanc, sed Deo semper haesit,
Et ipsius caritas
Vere fuit stabilis.

3 a. Ista est regina caeli,
Per quam fluit gratia
Unicuique fideli
Posito angustia,
Dum hanc quaerit sedulo.

3 b. Haec Holofernem mactavit
Ex virtutum culmine
Assuerumque placavit
Sua pulchritudine
Mortem cessans populo.

4 a. Ridet ex hac paradisus
Et congaudent caelici,
Maeret Belial divisus,
Semet cernens eici
A superna gloria.

4 b. Ergo ipsam deprecemur,
Ut Deus sanctificet
Nos, qui ipsam reveremur,
Et sursum laetificet
Adepta victoria.

Brev. ms. Gerundense anni 1339, nach Fita, Monumentos antiguos de la Iglesia Compostellana p. 130. Dies Brevier war in Gerona nicht zu sehen; dasjenige, aus dem das Officium Sanctificationis abgeschrieben ist, kann unmöglich dasjenige Fitas gewesen sein.

73. In Conceptione BMV.

1 a. Haec est dies,
quam fecit Dominus,

1 b. In Domino
iam exaltabimus.

2 a. Exaltemus
in arca Domini
Iubilantes,

2 b. Iubilemus
Mariae nomini
Collaetantes.

3 a. Collaetemur
cum matre virgine,
Quae parentum
est munda crimine.

3 b. Crimen mundi
Maria expulit,
Lumen mundo
Maria intulit.

4 a. Infert lumen
virgo, quae conterit
Serpentinum
caput Luciferi.

4 b. Lucis mater
Eoi sideris
Iam fulgescit
mentibus liberis.

5 a. Quae est ista,
quae mane oritur,
Quae tam pulchra,
tam fulgens cernitur
Nec simile
habere creditur?
Haec est stella,
quae noctem superat,
Haec aurora,
quae solem generat.

5 b. Quot ardebit
dies fervoribus,
Si tot mane
fulget fulgoribus?
Mundum suis
urit ardoribus,
Solem corde
gerit, temporibus
Stellas, lunam
premit sub pedibus.

6 a. Haec est arca
undas diluvii
Calcans, arca
metu naufragii
Salvans et periculis.

6 b. Signum pacis,
haec arcus aetheris,
Haec est arca
antiqui foederis
Et domus refugii.

7 a. Haec est scala,
quae caelos evehit,
Haec est porta,
quam nemo aperit,
Sed est uni
patens pontifici.

7 b. Haec est clavis,
quae caelos aperit,
Haec est nubes,
quae solem operit,
Haec est templum
veri pacifici.

8 a. Ergo, virgo,
inventrix gratiae,
Virgo, mater
misericordiae,
Te clamantes
benigne respice.

8 b. Virgo, victrix
fraudis veneficae,
Fons salutis,
virgo, deificae
Venam nobis
aperi veniae.

9 a. Qui conceptam
te sine macula
Venerantur
gaudentes in via,
Cordis ad te
mittunt suspiria.

9 b. Vitae nobis
da propugnacula
Christianae,
teque in patria
Videamus,
o dulcis Maria.

Collect. Maurinum saec. 17. Cod. Parisin. 12 089. — 4 b, 1 Luces. — 5 b, 6 uret. — 5 b, 8 geret. — 5 b, 10 premet. — 6 b, 2 hic

74. In Nativitate BMV.

1 a. Columbarum
Tui sunt oculi,
Iubar clarum
Totius saeculi,

1 b. Stella maris,
Mater egregia,
Quae laetaris
In caeli regia.

2 a. Mater patris,
Pudoris speculum,
Primae matris
Delens piaculum,

2 b. Angelorum
Transscendens culmina,
Exstas quorum
Sublimis domina.

3 a. Ergo ave,
Salvatrix gentium
Et suave
Robur languentium.

3 b. Ave, inquam,
O virgo gravida,
Super montem
Libani candida.

4 a. Tu caelestis
Vera testis
Exsistens mysterii

4 b. Deum paris,
Singularis
Compos puerperii.

5 a. Iamiam veni, balsamita,
Caeli splendor, mundi vita,
Virginalis gloria,

5 b. Sonet tua vox suavis
Veniamque donet pravis
Post haec transitoria.

6 a. Conspectui redemptoris
Infer vota peccatoris,
Mater illibata,
Decenter ornata
Monilibus aureis.

6 b. Castitatis dux sincerae,
Miserorum miserere
Nosque aure pia
Exaudi, Maria,
Suffulta argenteis

7. Columnis.

Brev. ms. Oscense saec. 13. Cod. Scorialen. P III 14. A. — Antiph. ms. Oscense saec. 13. Cod. Capit Oscen. s. n. B. — Brev. Burgense imp. s. l. et a. C. — Brev. Valentinum imp. Neapoli 1489. D. — Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis 1496. E. — Brev. Oscense et Iaccense imp. Caesaraugustae 1505. F. — Balinghem, Parnassus Marianus (Duaci 1624), p. 143. sq. G.

1 b, 3 Quae laris E. — 1 b, 4 caeli curia F. — 2 b, 3 Exstans quoque E; Extra chorum G. — 4 b, 1 Domini paris D. — 5 a, 3 Virginalis castitas G. — 5 b, 1 vox tua G. — 6 b, 5 Suffulta columniis D. — 7 fehlt D.

75. In Nativitate BMV.

1 a. Vale, vellus Gedeonis
Et celatum Salomonis
Auro fulgens ferculum,

1 b. Stella maris mundo lucens,
Virgam Iesse stirps producens,
Novum dans spectaculum.

2 a. Stella terris inest una,
Cuius simul sol et luna
Stupent pulchritudinem,

2 b. Stupet caelum decus terrae,
Stupet terram sidus ferre,
Stupet versum ordinem.

3 a. Est naturae ius mutatum,
Est in terra sidus natum,
Quod solem parturiat,

3 b. Qui splendorem specialem,
Qui calorem dat vitalem
Et occasum nesciat.

4 a. Admirantur universa,
Quod e terra vice versa
Caelum lux irradiat,

4 b. Obstupescit et natura,
Quod creatur creatura,
Quae creatum pariat.

5 a. Vale, nascens stella maris,
Quae dux esse comprobaris
Et spes vitae singularis
Naufraganti saeculo;

5 b. Lux virtutis, via morum,
Quae nescisti viri thorum,
Tuo digne rex caelorum
Prodit tabernaculo.

6 a. Qui per septiforme donum
Sibi fecit ex te thronum,
Nullum tale vel tam bonum
Sculpsit sapientia;

6 b. In te candor castitatis,
In te fulgor caritatis,
Thronus summae maiestatis
Ex hac fit materia.

7 a. Absque manu regis visus
Ex te lapis est excisus,
Virgo, nostri causa risus,
Flos convallis, paradisus,
Arbor aromatica;

7 b. Tu decorem induisti,
Tu plus sole refulsisti,
Cum, beata, nubem Christi
Tuae carnis concepisti
Polymita tunica.

8 a. Mater, pacem da benigna,
Virgo, viro nos consigna,
Quem circumdas alvo digna,
Ne nos hostis ars maligna
Fallat aut versutia;

8 b. Porta patens regi soli,
Per quem cadunt hostis doli,
Tu nos offer tuae proli,
Quo cum ipso summo poli
Perfruamur gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 7b, 3 nebulam Christi; d. h. die Menschheit Christi. — Wahrscheinlich Sequenz.

76. In Praesentatione BMV.

1 a. Congaudeat
populus sodalis
Ac sonora
mens sacerdotalis,
Praesentatur hodie
Triumphatrix gratiae.

1 b. Ex Abrahae
fontis seminalis
Et Davidis
praeservans a malis
Regia progenie
Nascitur melodiae.

2 b. Res miranda
mundo peroritur,
Quod iuvenis
tot gradus graditur,
Tamquam solis
radius pingitur
Haec puella.

2 b. Est haec nova,
qua caelum regitur,
Et machina
mundi protegitur,
Cum in templo
Deo conectitur
Solis stella.

3 a. Iam annorum
dotata tertio
Perorabat
summo silentio,
Virginalis
tecta cilicio
Comprobatur.

3 b. Te figurant
patres eloquio,
Cum praecinat
concipiet virgo
Isaias,
qui ab exordio
Fatebatur.

4 a. Ab aurora
preces edocuit,
A tertia
textrina vocavit,
Cuius sero
angelus refovit
Probitatem.

4 b. Virga arens
per te effloruit,
In manibus
Ioseph cum fronduit,
Castitatis
signatae praebuit
Veritatem.

5 a. Tunc profuit
nostrae parentelae
Baiulando
factorem tutelae;
Ei laudes
concinant cellulae
Incolarum,

5 b. Quae ovibus
contulit ovile
Protoplasti
conquassando vile
Scelus, inde
sincerum monile
Prophetarum.

6 a. Hinc Mariae
haec praesentatio
Nobis atque
caelica contio
Donet opem,
ut iubilatio
Reis detur.

6 b. O praeclara
vitae intentio
Et virtutum
ampla praemotio,
Fac, ut plebi
sordida actio
Denegetur.

Miss. Cabilonense imp. Lugduni 1500. — 3a, 6 texta. — 5a, 6 cellulae (gegen den Reim) wohl Druckfehler. — 6b, 1 vice intentio. — Melodie: Nativitas beatae virginis, wie aus dem Versmafs ersichtlich.

77. In Praesentatione BMV.

1 a. O quam felix es, Maria,
Mundi princeps, caeli dia
Ac imperatrix omnium,

1 b. Orta de stirpe regali,
Flore vernans virginali
Es facta Dei atrium.

2 a. Dum vi caelos inclinasti
Et hunc in te adunasti,
Nobis fit auxilium.

2 b. Angelus praedixit patri
Nasciturum atque matri
Pariturae filium.

3 a. Quem natum vocares Iesum,
Ut salvaret mundum laesum
Per protoplasti vitium,

3 b. A quo quod sis praeservata,
Caeli luce circumdata,
Certum est indicium.

4 a. Ex quo Deus est ens mundum,
Purum hinc et non immundum
Sumpsit carnis initium.

4 b. Et si sumpsit homo primus,
Cuius corpus erat limus,
Clarum vitae principium,

5 a. Multo plus tu, mater Christi,
Labe non subiacuisti,
Cuius es exterminium.

5 b. Nam de tua carne munda
Nostrae vitae fluxit unda
Evae purgans flagitium.

6 a. Quando Deo factus homo
Est in tua ventris domo
Virtute sancti flaminis,

6 b. Hic, dum matrem te elegit,
Carnem tuam non subegit
Horrori turpitudinis.

7 a. Ut de tua carne pura
Carnis ferret nova iura
Ex gutta puri sanguinis,

7 b. Cur purus non possit esse,
Si pollutum sumpsit esse
Ex massa foedi seminis?

8 a. Sed si esset depuratus,
Foedus et post emundatus
Actu sacri flaminis,

8 b. Cum pars sit cum massa tota
Idem ens, quamvis semota
Causa sui originis.

9 a. Nunc te matrem veneremur
Et praeclarum protestemur
Conceptum tui germinis;

9 b. Hoc qui cupit plenum nosse,
Sciat Deum cuncta posse
Praetextu sui numinis.

10 a. Qui si lapsum scit salvare,
Multo plus hanc praeservare
Scit a lapsu criminis;

10 b. A quo, Iesu, nos tuere
Et mundos fac te videre
In sumpta carne virginis.

Miss. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesiaci Fol. I 83 c. — 2 b, 1 Angelum. — 2 b, 2 Nascendam. — 2 b, 3 Ac parituram. — 4 a, 2 hinc non est immundum. — 6 b, 1 Hinc.

78. In Praesentatione BMV.

1 a. Angelorum mandatricem,
Summi Dei genetricem
Extollamus laudibus,

1 b. Mariam, matrem gratiae,
Quam ornat sol iustitiae
Omnigenis floribus.

2 a. O qualis haec virguncula,
Quae triennis ad limina
Templi acceleravit!

2 b. O quanta caeli agmina
Ad huius ministeria,
Dum Deo dedicavit!

3 a. Pectoris sui abditum
Squaloris in antidotum
Vovens virginitatem,

3 b. Manum mittens ad fortia
Hostem prostravit framea,
Tenens humilitatem.

4a. Tu sole quod sis amicta,
Vita probat benedicta,
Cunctis simul sanctior,

5a. Nulla salus est in domo,
Si non tibi servit homo,
Medela peccatorum.

4b. Precamur Deum attrahe,
Qui quemquam non vult sine te,
Ipsi cunctis proprior.

5b. Ergo rege vera lege
Nos, a malis semper tege,
Procuratrix bonorum.

Miss. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. 1 Q 191. A. — Miss. ms. Henrichoviense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 190. B. — Miss. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 195. C. — Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesiaci Fol. I 83 c. D.

2a, 1 Equalis haec A. — 2a, 3 accelerat B. — 3a, 1 Peccatoris sui C. — 4b, 2 Scheint dem Gedanken nach salvari zu fehlen. — 5a, 3 precatorum AB.

79. In *Annuntiatione* BMV.

1a. Promereris summae laudis
Tu, quae Deum ventre claudis,
Cantus et praeconia.

2a. Immo caute quaesivisti:
Quod est verbum, quod dixisti,
Cum sim viri nescia?

3a. In te pater pietatis,
Nos ut mundet a peccatis,
Carnem vestit hominis;

4a. Per haec age, verbi mater
Ut placetur nobis pater
Culpas laxans venia,

1b. Non, ut Gabrielem audis
Te clamantem, mox exaudis,
Tanti verbi dubia;

2b. Post responsum credidisti,
Credens Deum genuisti,
Ab eodem genita.

3b. Tres personas trinitatis,
Unum ens divinitatis
Venter claudit virginis.

4b. Ut a culpis expiatos,
Sibi reconciliatos
Nos informet gratia.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. A. — Miss. ms. Minorum saec. 14. Cod. Vatican. 4743. B. — 1b, 1 Nam ut Gabrielem B. — 1b, 2 Te cl . . . tem A; Te salantem B. — 3a und 3b umgestellt B. — 4a, 1 Per hoc B. — 4a, 3 levans venia B. — 4b, 2 Tibi A.

80. In Annuntiatione BMV.

1a. Ab excelso maiestatis,
De communi trinitatis
Mittitur consilio

2a. Intrat cellam et salutat,
Salutare cor immutat
Et turbat adloquio:

1b. Nuntiator veritatis
Nova ferens pietatis
Damnatis exsilio.

2b. Ave, gratia repleta,
Vetustatis priscae meta,
Mundi renovatio!

3 a. Mens turbata virginalis
Cogitabat, esset qualis
Ista salutatio.

3 b. O Maria, quid turbaris,
Si tam alte salutaris
Et tam alto nuntio?

4 a. Haec est salus principalis,
Nulla fuit unquam talis
Missa salutatio,
O Maria.

4 b. En, puella, quod quaesisti,
Apud Deum invenisti,
Solum crede nuntio,
O Maria.

5 a. En, habebis virgo natum
Verbum patris incarnatum
Ventris in palatio,
O Maria.

5 b. Virgo pura, non sis dura,
Crede Deo, mox futura
Sunt ea, quae nuntio,
O Maria.

6 a. Condescendo verbo Dei,
Quaero modum huius rei,
Virum enim nescio.

6 b. Eris virgo sine viro,
Impraegnata modo miro
Non corrupto lilio.

7 a. Ecce, rubus visionis,
Ecce, vellus Gedeonis
Alludunt mysterio.

7 b. . . . .
. . . .
. . . .

8 a. Virga florens Israelis,
Mons prophetae Danielis
Et porta Ezechielis
Non pressa vestigio.

8 b. Sacrum flamen te perflabit,
Alma virtus obumbrabit,
Ex te pater fabricabit
Corpus aptum filio.

9 a. Quare differs, o Maria?
Da consensum, virgo pia,
Toto mentis studio;

9 b. Nostra salus exspectata
Tibi soli est oblata,
Tuo stat arbitrio.

10 a. Totum genus condemnatum
Genu flectit inclinatum
Tuo consistorio;

10 b. Da responsum, ut optamus,
Ut per ipsum evadamus
A mortis exsilio.

11. Mox ancilla, dum haec audit,
Respondendo Deum claudit
Ventris in hospitio.

Sequent. ms. saec. 15. Cod. Matriten. Bb 168. — 4 b, 1 In puellam quid. — 6 a, 1 verba. — 6 b, 1 Oris vigo. — 8 a, 1 virgo.

81. In Annuntiatione BMV.

1 a. Gaude, virgo mater Christi,
Quia sola tu fuisti
Digna Deum parere,

1 b. Non in partu tamen tristi,
Sicut mos est, peperisti,
Sed divino munere.

2 a. Partus tuus partus laetus,
Non in partu tuo fletus,
Nullus maeror, nullus metus,
Dum portasti filium.

2 b. Salutata dum fuisti,
De salute concepisti,
Et sic virgo peperisti
Salutare gentium.

3 a. Ut audisti illud ave,
Quod tam dulce, tam suave
Nuntiavit angelus,

3 b. Voce venter intumebat,
Quia ventrem mox implebat
Virtus sancti spiritus.

4 a. Verbum quidem introivit,
Atque verbum hinc exivit,
Et sic tuus parturivit
Venter viri nescius.

4 b. Prodit puer de puella
Sana castitatis cella,
Sicut exit lux de stella
Et de sole radius.

5 a. Iste puer [princeps] magnus,
Princeps pacis, pius agnus,
Leo, gigas geminus;

5 b. Hic Samson, [hic] Elisaeus,
Ioseph, Ionas Ninivaeus,
Hic caelorum dominus.

6 a. Hic est, cuius Isaias
Iussit praeparare vias,
Hic est Enoch, hic Elias,
Hic est Dei filius,

6 b. Hic, quem senex exspectavit,
Quem Iohannes baptizavit,
Hic, quem totus praedicavit
Prophetarum cuneus.

7 a. Gedeon in
vellere et area,
Moyses in
rubo et in flammula,
Aaron in
arefacta virgula.

7 b. Vellus madens
non humectat aream,
Rubus ardens
non perit per flammulam,
Amygdala,
flores ornant virgulam.

8 a. Res a saeclis inaudita,
Quod puella parit ita,
Et quod ita sunt unita
Caelestibus terrestria.

8 b. Leges rerum et natura
Stupent, quia creatura
Creatorem, virgo pura
Parit et patrem filia.

9 a. Gloriosa mater Dei,
Magni quoque Nazarei
Mater Iesu, nostrae spei,
Mater misericordiae,

9 b. Te precamur, tu precare
Tuum natum nos iuvare,
Ut possimus te laudare
In paradiso gloriae.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. A. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343 saec. 14. B. — 3 a, 2 quam suave B. — 3 b, 1 Verbo venter B. — 4 a, 1 Verbum ventrem introivit B. — 4 a, 3 Et sic partus tuus parturivit B. — 5 a und 5 b fehlen B. — 6 b, 3 Hic fehlt A. — 7 a und 7 b fehlen B. — 7 b, 5 Amygdalaque A. — 8 b, 1 Reges (falsche Initiale) A; Iura rerum B. — In B ist an diese Sequenz ohne Absatz eine andere mit dem Anfange *Caeli solem profert stella* angefügt, die hier folgt.

82. In Annuntiatione BMV.

1 a. Caeli solem profert stella,
Dei prolem dum puella
Sacro fovet gremio.

1 b. Parit virgo pari carens,
Modo miro virgo manens,
Deum gestans utero.

2 a. Salve, stella, mater solis,
Claudens iubar tantae prolis
Intra sacra viscera.

2 b. Nati nata, mater patris,
Virgo tenet nomen matris,
Virgo, mater, filia.

3 a. Templum Dei stabilitur,
Terra arva reperitur
Carens carnis semine;

3 b. Ibi fulget fulgor auri,
Dum se castae fundit auri
Verbum patris feminae.

4 a. Casta mater salvatoris,
Interesse caeli choris
Fac nos prece sedula;

4 b. Mundi salus, vitae via,
Nos ad caeli, mater pia,
Perduc habitacula.

Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14343. saec. 14. — 3 a, 2 Terra arma.

83. In Purificatione BMV.

1 a. Immolata
Mater, sit grata
Laus tibi nostra,

1 b. O vere pia
Mater Maria,
Matrem te monstra.

2 a. Angelis purior
Et sanctis dulcior
Universis una,

2 b. Errantes corrige,
Correctos dirige,
Discordes adiuva.

3 a. Flos Aaron,
Turris Sion,
Stirps regia,
Duc nos ad gaudia
Caelestia.

3 b. Lux Bethlehem,
Ierusalem
Laetitia,
Caelesti gratia
Nos satia.

4 a. Amplexanda,
Dulcis, blanda,
Misericordissima,

4 b. Impolluta,
Incorrupta,
Inviolatissima.

5 a. Ventris tui
Fructu frui
Posce verbis placida,

5 b. Quae post prolem,
Verum solem,
Es plus sole splendida.

6 a. Matris ac virginis
Dupla dote fulgida,

6 b. Post partum crevisti,
Aucto flore florida

7. Inviolata permansisti.

Brev. Caesaraugustanum imp. s. l. et a. (Venetiis 1496). — Als Verbeta gebrauchte Sequenz; auch die Prose „Missus Gabriel de caelis“ ist ebenso verwertet. — 6 a, 2 Duple.

84. In Visitatione BMV.

1 a. Exsurgens diva ratione
Humillima devotione
In montana abiit
Elisabeth congratulari.

1 b. Nec oraculo angelico
Dubia nec vaticinio,
Sed festina prodiit
Cognatae pie commorari.

2 a. Progressa tunc exsiliit,
Cum eam virgo viserit
Per pneuma gravidata
Post Ave Gabrielis.

2 b. Vociferavit anula:
Tu, benedicta domina
Nec viro fecundata,
Gestas regnantem caelis.

3 a. Unde mihi privilegium,
Ut princeps visitet famulum
Gestatrice virgine?

3 b. Verbo facto salutifero
Exsultavit infans utero,
Miro hoc fit ordine.

4 a. Gerunt thesauros reconditos
Et arcana secretorum;

4 b. Sciscitare plane possumus,
Rimari nec est doctorum.

5 a. Hanc complicatus
ab humanis
Praegnat ancillam
verbum patris.

5 b. Mysticis haec non
carent donis,
Expletae nam sunt
altithronis.

6 a. Gaudent binae amplexando,
Iucundantur delectando
Spiritualibus iubilis.

6 b. Sic grandaeva, sic puella,
Quae est veri solis cella,
Laetantur fulcitae filiis.

7 a. Ex summo bono
Superno dono,
Quod acceperat,
Transcenso cursu hominum,

7 b. Ut Lucas refert,
Maria profert
Nunc: Magnificat
Anima mea Dominum.

8 a. Mansit autem tunc mensibus
Tribus Maria laribus
Sacerdotis Zachariae,
Muti nota diffidiae.

8 b. Fac nos tecum commanere,
In aeternum congaudere,
Ubi regnas perlucide
Cum patre, prole, flamine.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesiaci Fol. I 83 h. — 3a, 2 visitat. — 5b, 3 Expleta. — 6b, 2 veri cella solis. — 7a, 4 Transscensu cursu. — 8a, 4 vota.

85. In Visitatione BMV.

1 a. Caeli cives iam congaudent
Virgini et semper audent
Congaudere, ut collaudent
Matrem Dei dulcius.

1 b. Gratulentur viatores
In hac valle, peccatores
Pravos corrigendo mores,
Ut vivant consultius.

2 a. Super Christum se fundavit,
Mundum istum conculcavit,
Dum Maria festinavit
Visere Elisabeth.

2 b. Flagrat pectus virginale,
Promit flatus verbum tale,
Nondum natus sensit quale
Iohannes videlicet.

3 a. Paupertatis de crumena
Caelum ditans Deo plena
Surgit mente cum serena,
Vult montana scandere.

3 b. Praecursoris genetricem
Sic salutat, ut felicem
Infans Christo reddens vicem
Scit secreta pandere.

4 a. Gestis verba confirmantur,
Certis signis demonstrantur,
Rex et miles hi effantur
Uteris per gaudium.

4 b. Fidem sumit Zacharias
Pridem mutus ac per vias
Benedictus sit Messias
Novum edit canticum.

5 a. Spe deleta per numisma,
Quo ecclesiae stat schisma,
Diabolicum sophisma
Solve, mater gratiae.

5 b. Hic electa sponsa Christi
Dissipatam statu tristi
Reformatam red de isti,
Virgo pulchra facie.

6 a. Iam devotis praestat plausum
Verbum caro ventre clausum,
Quod Iohanni dedit ausum
Iubilandi intime.

6 b. Ubicunque sunt et erunt,
Qui per viam voto quaerunt
Templa, preces, quas fuderunt,
Captet datrix veniae.

7 a. O electa visitatrix,
Et perfecta mediatrix,
Sola recta consolatrix,
Nos in morte visita,

7 b. Ut a lucta eruamur,
Tuo ductu deducamur,
Tuo fructu perfruamur
Iugiter in patria.

Grad. ms. S. Martini Nordhusen. saec. 15. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 4 a, 1 Bestis verba. — 4 b, 4 edidit. — 6 b, 2 voto.

86. In Visitatione BMV.

1 a. Cantet christiana musa
Pia voce non confusa
Virginis praeconium,

1 b. Quae omni labe seclusa,
Sancto flamine perfusa
Dei tulit filium.

2 a. Seipsam humiliavit,
Elisabeth visitavit
Inferens solacium,

2 b. Senem ventrem fecundavit
Zacharias et fundavit
Mirum puerperium.

3 a. Elisabeth visitatur,
Iohannes praeco laetatur
Exsultans in utero,

3 b. Virgo mater exaltatur,
Clausus infans prophetatur
In ventre virgineo.

4 a. Qui, priusquam nasceretur,
Decuit, ut laetaretur
In virginis filio,

4 b. Dum uterque clauderetur
Ventre, alter laetaretur
Gestiens in utero.

5 a. Anus sterilis vocata
Conceptu fuit impleta,
Confecta iam senio,

5 b. Valde fuit admirata,
Quod fuerit visitata
Humili ergastulo.

6 a. Quid est? inquit, non sum digna,
Ut mater Dei benigna
Me visitet sedulo,

6 b. Tibi, mater tam insigna,
Non sufficit laus condigna
Nec sancta devotio.

7 a. Ut hoc festum venerandum
Et merito celebrandum
Laudetur praeconio,

7 b. Mysterium memorandum
Et digne concelebrandum
Est et admiratio.

8 a. Omnes ergo exsultemus
Et Domino iubilemus,
Virescat devotio,

8 b. Sanctum flamen adoremus,
Virginem matrem laudemus
Cum patre et filio.

Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — 3 a, 2 praecursor laudatur AB.

87. In Visitatione BMV.

1 a. Congaudeamus Mariae,
Visitanti in hac die
Iohannem et Elisabeth.

1 b. Surgens mater digna Dei,
Advocata facta rei,
Abiit ad Elisabeth.

2 a. Per montana festinanter
Venit virgo incunctanter
Ad domum Elisabeth,

2 b. Quae in civitate sancta
Morabatur haec cognata
Sterilis Elisabeth.

3 a. Inde tamen nunc fecunda
Senex proba et iucunda
Zachariae Elisabeth;

3 b. Intrans ergo gloriosa,
Fructu sancto generosa,
Salutat Elisabeth.

4 a. Salve, bona consobrina,
Quam sic gratia divina
Ditavit, Elisabeth.

4 b. Cuius vocem salutarem
Ut audivit spiritalem,
Miratur Elisabeth.

5 a. Praesentia salvatoris
Gaudent matris praecursoris
Viscera, Elisabeth,

5 b. Ubi exsultavit gaudens
Praeco Domini, Iohannes,
Filius Elisabeth.

6 a. Cuius sanctitate immissa
Facta fuit prophetissa
Dicens sic Elisabeth:

6 b. Unde hoc, quod mater Dei
Venit huc ministra mei,
Miserae Elisabeth.

7 a. Inter feminas beata,
Fructu divino praegnata,
Domina Elisabeth.

7 b. Et cur credis, benedicta,
Implebuntur in te dicta;
Finit sic Elisabeth.

8 a. Inde oscula sequuntur,
Amplexusque repetuntur
Mariae et Elisabeth.

8 b. Nec abfuere tractatus
Nec Zacharias beatus
A domo Elisabeth.

9 a. Sic confabulantes pluries
Consumpserunt menses tres,
Dicat hoc Elisabeth.

9 b. Omnes ergo supplicamus,
Exaudi, quod suspiramus,
Cum sancta Elisabeth

10 a. Et Maria genetrice,
Nostra vera directrice,
In hac vallis miseria,

10 b. Visitemur inspirati,
Ut vivamus reformati
In caelesti patria.

Miss. ms. Caesaraugustanum saec. 15. Cod. Matriten. VII F 3. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. C. — 1 a, 1 Congaudentes A. — 1 a, 2 Visitantis ABC. — 5 a, 1 Et praesentia ABC; eine Silbe zu viel, oder Synicese? — 6 a, 1. Eine Silbe zu viel, oder Elision? oder lies: Cui sanctitate, was einen richtigeren Sinn böte? — 7 b, 1 cur statt quia. — 8 a, 3 et fehlt A. — 8 b, 1 affuere ABC. — 8 b, 2 beatus ABC. — 9 a, 1 Eine Silbe zu viel oder Synicese. — 9 a, 2 Eine Silbe zu wenig und schlechter Reim.

88. In Purificatione BMV.

1. Ecce, offerebat

2 a. Parvulum
ad templum
mater speciosa

2 b. Virgo et
Maria;
Simeonque senex

3 a. Accepit in
ulnas regem caelorum,
magnum Dominum.

3 b. Sola virgo
lac dabat, ubera de
caelo plena vita.

4 a. O digna voce repleta
Maria ultima per
civem virginem
fabricae
mundi electa alma.

4 b. Qui hodie in utroque
omnes enim prophetae
vim patientes
„gaudeo"
in ore clamabant.

5 a. Gabriel quoque
angelus
nuntius primitus
venit in arva.

5 b. Senex Simeon,
exspectans
redemptorem mundi,
Deo proclamat:

6 a. Nunc dimittis servum
tuum, Domine, in pace;
qui accepit
responsum in spiritu.

6 b. Adorna thalamum,
liberator legis,
intercede
pro nostra crimina.

7 a. Carmina caelica
angelorum laeta,
patriarcharum
chorus exsultat,

7 b. In caelesti tropaeo
iubilant organa,
sentiant tuum
iuvamen omnesque, alma

8. Virgo Maria,
genetrix orti
pro nostra facinora.

Trop. ms. Vicense saec. 11/12. Cod. Capit. Vicen. CXI. — 2 a, 3 u. 2 b, 3 umgestellt. — 2 b, 3 sepicima. — 3 b, 2 dabit. — 4 b, 3 patienter. — 4 b, 5 in hore clamabat. — 5 a, 3 pri mitur. — 5 b, 2 exspectas. — 6 a, 3 quem. — 6 a, 4 insule. — 4 a u. 4 b, 1 verdorben und unverständlich.

89. In Purificatione BMV.

1. Fecundata
mater et virgo
semper, Maria,

2 a. Nostris fave
votis, orbis regina.

2 b. Natum regem,
qui creavit omnia,

3 a. Offers die ista
in templo
inter senis
Simeonis brachia.

3 b. Spiritus sancti
monita
praestolatur
et Anna prophetissa.

4 a. Salvatori
ut praesenti
digna canunt carmina.

4 b. O Simeon,
senex iuste,
qui Christum portas ulnis,

5 a. Haec est dies,
quem exspectabamus,
implentur tua vota.

5 b. Denique nos
more tuo pangamus
Israelis regi cantica.

6 a. Gaude, o Maria,
virgo beatissima,
Quae Dei verbum nobis
hominem offers
intra templi moenia.

6 b. Casta fave mater,
regnat iam proles tua.
Et tu, virgo inclita,
semper laetare
per infinita saecla.

Miss. ms. Virdunense saec. 15/16. Cod. Virdunen. 99. A. — Miss. Virdunense imp. Parisiis 1509. B. — 3 a, 3 inter fehlt AB; senis fehlt B. — 4 a, 1 Salvatorem AB. — 4 b, 4 Qui sanctum Iesum Christum portas AB. — 6 b, 3 sq. semper inclita AB.

90. In Purificatione BMV.

1 a. Sion sancta, laetabunda,
Plebs fidelis et iucunda,
Exsulta cum tripudio,

1 b. Quantum vales in hac valle,
Dulce melos Christo psalle,
Exhilarata gaudio.

2 a. Tuum adorna thalamum,
Temet decora plurimum
Modulatis organis,

2 b. Cita senes ac iuvenes,
Coniugatas et virgines,
Viduas cum tympanis.

3 a. En, Maria, mater pia,
Dei gestans filium,
Quem admisit et emisit
Ut crystallus radium,

3 b. Cum peregit, sicut legit
Moysi volumine,
Templum intrat et illustrat
Nati sui lumine.

4 a. Turturum par castitatem,
Columbarum pietatem
Signant, dona mystica,

4 b. Haec pro eo proferuntur,
Sed sic nobis proponuntur,
Sit ut vita caelica.

5 a. Erat tunc Hierosolymis
Senex iustus et nobilis,
Simeon plenus gratia,
Adeptus vitae spatia,

5 b. Ne visum busto clauderet,
Donec promissum cerneret,
Qui creditur Emanuel,
Iesus, salvator Israel.

6 a. Hic imbutus et instructus
Spiritu veraciter
Ipsa hora sine mora
Templum it celeriter.

6 b. Noto Christo die isto
Ulnis hunc amplectitur,
Fatur vates, reddit grates,
In pace dimittitur.

7 a. Anna quidem prophetissa,
Tantis sacris tunc admissa,
Devota longo termino,

7 b. Super Christo manifeste
Cunctis lege loquens teste
Confitebatur Domino.

8 a. Certumque, quia deinceps
Omnis homo fit particeps
Huius alacritatis,

8 b. Verae qui capax fidei
Credit Christum verbum Dei,
Studet iungi beatis.

9 a. Ergo cuncti iam peruncti
Iesu sacro chrismate
Catervatim, singillatim
Claro plaudant neumate,

9 b. Mente tota et devota
Cereis fulgoribus
Festum agant, pure pangant
Sacris compti moribus.

10 a. Sed intellegant per ceram
De Maria carnem veram,
Fiatque fides rectior.

10 b. Ergo flamma signat numen
Maiestatis vel cacumen,
Spes inde fiat certior.

11 a. Linum praetendit hodie
Opus misericordiae,
Quod nobis lumen recipit,

11 b. Quo absque nil est claritas,
Quin potius calamitas
Cunctos ardens interficit.

12 a. Flagitemus et oremus
Aulam intra regiam
Genetricem ac nutricem
Domini egregiam,

12 b. Iesum oret ac imploret
Celebri precario,
Ut nos ducat et inducat
Poli consistorio.

Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valent s. n. A. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. C. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. D. — Missale Valentinum imp. 15**. E. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. F. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. G.

1 a, 3 Exsultat FG. — 2 b, 1 Circa ABCDE. — 3 a, 3 amisit A. — 3 b, 1 Dum FG. — 4 b, 3 Sicut E. — 5 a, 2 ac FG. — 5 a, 4 Indemptus ABCDE. — 5 b, 4 Iesu AE. — 6 a, 1 et structus F. — 6 b, 2 Ulnis hic FG. — 6 b. 3 Fatur grates reddit vates FG. — 7 a, 3 Devoto AE. — 8 a, 2 sit E. — 9 a, 4 plaudat A; pneumate FG. — 10 b, 3 Spes quia FG. — 11a, 1 Lignum A. — 11 b, 1 caritas ABCDE. — 12 a, 2 infra FG. — 12 a, 3 et nutricem FG. — 12 b 2 Celebris precatio ABCDE.

91. In Purificatione BMV.

1 a. Adest dies veneranda,
Qua pura purificanda
Venit virgo virginum;

1 b. Haec dies quadragesima,
Qua sublimis humillima
Venit expers criminum.

2 a. Hierusalem virguncula,
Ab omni pura macula,
Ut purgetur, properat;

2 b. Sed quid purgandum fuerit
In hac, recensendum erit,
Quae nil sordis egerat.

3 a. Legis mulieres erant,
Quae semine conceperant,
Instituto obnoxiae,

3 b. Sed, Maria, mater Christi,
Quae spiritu concepisti
Sancto regem gloriae,

4 a. Cum virum non cognoveris,
Sed virgo semper fueris
Repleta munditie,

4 b. Nec sorduisti sanguine,
Quo mundabantur feminae
Viri sparsae carie,

5 a. His te non lex astrinxerat,
Sed quod figura fuerat,
Tibi quis futurus erat
Status in caelestibus,

5 b. Ad quem te vexit gloriae
Rex in quadragena die
Te subtrahens miseriae
Mortis fractis nexibus.

6 a. Absque fide, caritate
Nos mortales nascimur,

6 b. Mens, voluntas sunt purgatae,
Sensu mortis loquimur.

7 a. Fide, caritate plena
Virgo ad esse prodiit,

7 b. Non mundata, sed serena
Mortis legem subiit.

8 a. Dies hanc ergo ad gloriam
Quadragena fert Mariam,
Quae purgata caeli viam
Meruit ex saeculo.

8 b. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

9 a. Quota fert huiusce natum
Hora ab inferis levatum,
Dies superexaltatum
Ad caelum empyreum,

9 b. Dum lex vetus per saeculum
Duravit offendiculum,
Nec sic haec huius vinculum
Cor tenet virgineum.

10 a. Servat virgo mater regis
Instituta suae legis
Sub utroque tempore;

10 b. Nos decet parere legi,
Qua placemus summo regi
Vitato facinore.

11 a. Nam Moysi modo legi
Paret, simul ipsa regi
Censet lege gratiae.

11 b. O Maria, legis arca,
Qua quievit rex monarcha,
Iesus, princeps gloriae.

12 a. Virgo mitis et benigna,
Omni laude virgo digna,
Christo nos concilia.

12 b. Ora patrem, iube natum
Ducere nos ad optatum
Portum, mater, filia,

13 a. Ut videre laetabundi
Valeamus Deum mundi
Huius post exsilia.

13 b. Cuius vultu satiati,
Omni dote decorati
Laetemur in patria.

Miss. Pictaviense imp. Parisiis 1541.

92. In Transfixione BMV.

1 a. Gaude, Sion mater, quia
Dona magna tibi tria
Propinantur hodie,

1 b. Christus dulcis cum Maria
Pro te rogant prece pia
Regi summae gloriae.

2 a. Hodie Christus maceratus,
Pro te pendens laceratus
Crucis ignominia,

2 b. Spata dira perforatus,
Pie tui miseratus
Suscipit in gratia.

3 a. Hodie mater pietatis
Dona profert bonitatis
Stans sub cruce inclita,

3 b. Hodie pater maiestatis
Tibi bona largitatis
Donat sibi insita.

4 a. Quis infelix non impendet
Laudum vota, non intendet
Matri in exsilio?

4 b. O quam felix, quae appendit
Mentis vota, quae suspendit
Crucis in eculeo.

5 a. Quod iustus olim cecinit,
Mater virgo recipit
Christi in agone;

5 b. Synagoga tunc cecidit,
Dum Sion [sancta] mansit
Institutione.

6 a. Fructum cepit vetitum,
Qui infecit populum,
Prima parens;

6 b. Quia carpit insitum
Fructum verbi optimum,
Virgo dolens.

7 a. Eia, fructus caelice,
Nos nunc totos refice
Mariae ob amorem,

7 b. Fructus dulcis optime,
Fac saporem intime
Spiritus ad dulcorem.

8 a. Stabat hodie
Tota carens carie
Vultu lacrimosa,

8 b. Sustinens blasphemiae
Cohortem malitiae
Pro te amorosa.

9 a. Vena vitae, spes salutis,
Dei mater, dos virtutis,
Orbata praeconio

9 b. Auris tinnit tunc de brutis,
Dum tu audis a versutis
Natum tradi opprobrio,

10 a. Ob hoc, rosa, fons amoris,
Nos sentire vim doloris
Facias veraciter,

10 b. Ut expertes nos maeroris
Simus duri et furoris
Iudicis perenniter.

Orat. ms. S. Clementis Toletani saec. 15. Cod. Matriten. Tolet. 122. A. — Miss. ms. Vicense saec. 14[?] Cod Cerveran. s. n. [bei Villanueva, Viage literario IX, 208] B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. C. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. D.

1 a, 1 mater pia B, Korrektur? — 1 b, 1 Christus dux cum CD. — 1 b, 2 rogat D. — 1 b, 3 summo C. — 2 a, 1 Hodie zu synicesieren [ebenso 3 a, 1 und 3 b, 1]; maceratur D. — 2 a, 2 Per te ABCD; laceratur D. — 2 b, 3 Suspirat CD. — 3 a, 2 Bona B. — 3 b, 3 tibi D. — 4 a, 2 et intendet AB. — 5 a, 2 recepit D. — 7 b, 1 obtiue A, obtime B. — 8 a, 1 Restabat ABCD; l. Vere oder maerens stabat? — 8 a, 3 lacrimoso CD. — 9 a, 3 Orbatas ABCD. — 9 b, 1 Turris CD, tumit AD. — 9 b, 3 Eine Silbe zuviel oder Elision? — 10 b, 1 expertos D.

93. De Compassione BMV.

1 a. Salve, virgo gloriosa,
O regina caelitum,
Mater matrum dolorosa,
Audi preces supplicum.

1 b. Salve tu, quae pertulisti
Dolorem acerrimum,
Cum circumcidi vidisti
Natum dilectissimum.

2 a. Salve, quae plena timore
Effugis cum filio,
Quae Nazareth cum pavore
Redis ab exsilio.

2 b. Salve, quae post tot dolores
Natum quaerens perditum
In templo inter doctores
Invenisti subditum.

3 a. Salve tu, quae dulcem natum
Sciens nummis proditum,
Sciens sputum, flagellatum,
Paene emittis spiritum.

3 b. Salve, sanguine stillantem
Quae dum natum reperis,
Crucem dorso baiulantem,
Exanimis laberis.

4 a. Cum crucifixum vidisti,
Tradita discipulo,
Mortis dolores sensisti
Confixa cum filio.

4 b. Dum filius moritur,
Vitae eclipsim pateris,
Antro cum sepelitur,
Cum nato includeris.

5. Tot ergo passa dolores,
Virgo, martyr inclita,
Nostros releva labores
Et perduc ad sidera.

Miss. Valentinum imp. 15**. — 3a, 4 u. 4b, 2 Elision.

94. De VII Doloribus BMV.

1. Primus dolor, virgo, fuit,
Quando Simeon tunc dixit:
Gladius eius transibit
Tuam sacram animam.

2. Secundus, quando fugisti
In Aegyptum cum labore
Et timore et dolore
Portans tuum filium.

3. Tertius, dum perdidisti
Tuum natum, quem quaesisti
Flendo et sic invenisti
Illum die tertio.

4. Quartus est, quando ligatus
Fuit Iesus, tuus natus,
In columna flagellatus
Et de spinis coronatus
Cum cruore roseo.

5. Quintus, alma mater Christi,
Dum in cruce tu vidisti
Mori, quem tu genuisti,
Tuum et Dei filium.

6. Sextus, dum te commendavit
Iohanni et sic spiravit,
Miles latus perforavit,
Sanguis, aqua abundavit,
Gladius te vulneravit
Doloris in anima.

7. Septimus, dum respexisti
Poni corpus Iesu Christi
De cruce et tenuisti
In gremio et tradidisti
Sepulturae et reliquisti
Cum dolore filium.

8. Quo dolore vulnerata
Fuisti, virgo sacrata,
Et in corde cruciata
Milies martyr facta!

9. Eia ergo, virgo pia,
Mater dulcis, o Maria,
Per hos sacros nunc dolores
Exaudi nos peccatores
Et exora filium,
Suum ut salvet populum.

Missale Montis Serrati imp. s. l. et a. (in Monte Serrato 1521). — Ohne Parallelismus.

95. De Doloribus BMV.

1 a. O mater Christi et virgo,
Fons salutis et origo,
Tu nostra redemptio,

1 b. Angelus cum salutavit
Te, virginem informavit,
Quod virtus Dei flavit.

2 a. Tu, quae Christum genuisti,
Circumcisum doluisti
Et amissum invenisti
In templo, mater, natum.

2 b. Hunc Iudaeis iam traditum,
Corpus eius denudatum,
Oculis tuis ablatum
Dolebas, virgo, gratum.

3 a. Ita cruci adfigitur,
Per impios deluditur
Et pro nobis moritur.

3 b. Anima tua pungitur,
Cum filius deponitur
Et planctu sepelitur.

4 a. Stabas, virgo dolorosa,
Iuxta crucem lacrimosa,
Ergo, mater gratiosa,
Adiutrix copiosa,

4 b. Pacem confer, finem bonum,
Mala pelle et da modum
Ita spernere mundana,
Ut amemus caelica.

5. Per dolores, quos tulisti,
Lava sordes choro isti
Et perduc ad thronum Christi,
Virgo mater, Maria.

Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. — 4b, 3 l. vielleicht mundanum.

96. In Assumptione BMV.

1. Felix valde

2 a. O Maria,
incorrupta puerpera.

2 b. Tu merito
vocaris mundi domina.

3 a. Angeli dictis
oboedisti,
virgo pudica,

3 b. Vernanti flore
mox fuisti
virgo praegnata.

4 a. Illo progenito
caeli clamaris regina,

4 b. Ipso germinante
reviviscunt morticina.

5 a. Hodie puella morte
non es impedita,

5 b. Licet temporali nece
fores irretita.

6 a. Te transeunte
laetatur polorum
cohors beata,

6 b. Te adiuvante
possimus foveri
saecla per cuncta,

7. Felix valde o Maria.

Trop. ms. Veronense saec. 11. Cod. Capit. Veronen. 107 (100). A. — Grad. ms. Mutinense saec. 11. Cod. Capit. Mutinen O I N 7. B. — Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. C. — Grad. ms. Modoe-

tinum saec. 12. Cod. Capit. Modoet. K 11. D. — Grad. ms. Parmense saec. 14/15. Cod. Capit. Parmen. s. n. E. — Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Univ. Bononien. 2748. F.

3a, 1 *doctis* B. — 3b, 1 Vernante F; florere B. — 4a, 2 clamaris caeli F. — 4b, 1 Illo B. — 4b, 2 revivescunt A. — 4a und 4b umgestellt A. — 5a, 1 O digna puella F. — 5a, 2 lies impetita? — 5b, 1 Sic et B; temporalis A. — 5b, 2 fore A. — 6a, 3 sors beata A. — 7. Felix mater et beata C.

97. In Assumptione BMV.

1 a. Gaudiorum virgo mater,
Cuius filius est pater,
Habet privilegium,

1 b. Quaeque virgo collaetatur,
Et in Christo gloriatur
Tota caeli curia.

2 a. Ave, virgo, cuius festum
Sacrosanctum et honestum
Recolit ecclesia,

2 b. Gerens vas illuminatum
Oleumque praeparatum
Sponso gaudens obvia.

3 a. Imprudenti non intrante
Introisti currens ante
Christum sequens filia,

3 b. Sic ingressa caeli chorum,
Rosas habes circa thorum,
Violas et lilia.

4 a. Virgo prudens, virgo munda,
Peccatores nos emunda
Ab omni spurcitia,

4 b. Emundatos nos commenda
Sponso Christo ad habenda
Sempiterna gaudia.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15.

98. In Assumptione BMV.

1 a. Plausu dulcis harmoniae
Honoretur in hac die
Mitis Iesu matris piae
Felix tam assumptio.

1 b. Hic quaerendo disputatur,
Carne si incineratur,
An in caelum assumatur
Tota iuncta filio.

2 a. Sacrum flamen hanc mundavit,
Carnem totam integravit,
Ergo non deintegravit
Hanc incineratio.

2 b. Est de matre caro Christi,
Sed regnantem hunc audisti,
Ergo secum debet sisti,
Cum sit carnis unio.

3 a. Si cum Deo pars praeesset,
Et cum verme pars subesset,
Ergo dicta non fuisset
Tota plena gratia.

3 b. Sed est plena, pulchra tota,
Ergo caret omni nota,
Ergo vermi non est nota,
Sed regnat in gloria.

4 a. In electis nil ignorat,
Quin hanc Deus praehonorat,
Ergo non hanc inhonorat
Tellus talem nutriens.

4 b. Cum sanctorum quaedam caesa
Membra constant et illaesa,
Ergo nunquam erat laesa
Caro Deum pariens.

5 a. Morti datum sepelitur
Nec in terris reperitur,
Quo sit raptum hinc nescitur
Corpus matris virginis.

5 b. Est in caelo vel in solo,
Non in imo, ergo polo
Regnat Dei velle solo
Secus dextram numinis.

6 a. Ergo matrem tam beatam
Obdormisse, post translatam
Ac in caelis coronatam
Credat grex ecclesiae.

6 b. Te precamur, stella maris,
Quae cum Iesu gloriaris,
Ducas nos, quo sublimaris
Regis regno gloriae.

Miss. ms. Romanum [?] saec. 15. Cod. Oxoniens. Tanner. 334.

99. In Assumptione BMV.

1 a. Assumpta virgo virginum,
Spes atque salus hominum,
Regnat iam cum filio;

1 b. Est in caelis haec regina,
Digna laude, sine spina
Rosa iuncta lilio.

2 a. Maria, flos castitatis,
Hortus clausus deitatis,
Dei gaudet solio;

2 b. In excelso caeli sita,
Mundi labe non attrita
Scandit ab exsilio.

3 a. Caelum suae clariatis
Luce replet, iam beatis
Praelata spiritibus;

3 b. Gaudet chorus virginalis,
Exstans illi specialis
Honor in caelestibus.

4 a. Exercitus hanc sanctorum
Venerando supernorum
Profitetur dominam;

4 b. Angelorum Dei coetus
Psallit congaudendo laetus
Dominantis gloriam.

5 a. Ergo nobis, o beata,
Supra caelos exaltata,
Tuum placa filium,

5 b. Ut nos culpis absolutos
Paradiso reddat tutos
Mundi post exsilium.

Grad. ms. Montis S. Mariae saec. 13/14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 502. A. — Sequent. ms. Montis S. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 1340. B.

100. In Assumptione BMV.

1. Ad honorem matris piae
Vox erumpat symphoniae
Festi sonans gaudia.

2 a. Verbi parens, hortus nucum,
Commutat onus caducum
Immortali trabea.

2 b. Pubescenti par aurorae,
Rubens fructu, candens flore,
Vitae vernat laurea.

3 a. Olim moriens, nunc vivus
Iesus obviat festivus
Coronatae virgini,

3 b. Ut eam in dextra patris,
Quantum capit honor matris,
Suae reddat culmini.

4 a. Nati regis
incumbens dexterae
Vitae vias
excurrit prospere,
Novo suae
virtutis pondere
Transmetitur aethera.

4 b. Intrat aulam
fecundi luminis,
Sequens agnum
secundi tramitis
Sceptrum sumit
caelestis ordinis,
Nutu premit infera.

5 a. Spiritus, qui colunt caelos,
Choros iungunt, fundunt melos
Miri modulaminis

5 b. Offerentes arte nota
Iubilos et laudum vota,
Novum genus carminis.

6 a. Sistitur in caeli sede
Vivo terens caput pede
Serpentis tartarei,

6 b. Ut iam nec in subcalcari
Possit robur infirmari
Virginalis fidei.

7 a. Ergo tenet
lucem, quam edidit,
Quam et Eva
sub ficu perdidit,
Testam cuius
fregit et abdidit
Plebs Hebraea.

7 b. Sed celeri
Deus iuvamine
Integravit
a mortis fragmine
Testam carnis
sumptam a virgine
Nazaraea.

8 a. Rex potitus exquisitis
Amplexibus Sunamitis
Pio calet pectore

8 b. Et movetur circa reos
Per Mariam solvens eos
A peccati corpore.

9 a. Habet vim iudicii
Ore data filii
Bersabeae ratio,

9 b. Quod pro reis valeat
Nec effectu careat
Mariae petitio.

10 a. Post expressum crucis prelum
Manu forti virgo caelum
Prior cunctis rapuit,

10 b. Quae vovere sementiva,
Suae carnis incentiva,
Deo prima voluit.

11 a. Sacrum vellus
carnis virgineae
Caelo datur,
adfertur areae,
Ut pia fert opinio,

11 b. Nam teneri
morte non debuit,
Per quam nobis
a morte potuit
Procurari redemptio.

12 a. Regnat una
post natum unicum,
Terras tenet
orbemque caelicum
Novae potestatis mole,

12 b. Et est dignum
dictatque ratio,
Ut subdatur
[eius] obsequio,
Quidquid spirat sub hoc sole.

13 a. Iam praelata
caeli militiae
Imperatrix
et datrix gloriae,
Suspirantes
ad donum veniae
Donativis
exornet gratiae
Mater pia.

13 b. Quibus adhuc
fides est tenera,
Pietatis
impendat viscera
Et ad regnum,
quod spondet litera,
Nos perducat
virgo puerpera
Precum via.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 2 a, 1 ortus AB; hortus nucum bezieht sich auf Cant. 6, 10: Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium etc. Wie Maria der hortus conclusus, der fons signatus etc., so ist sie auch der hortus nucum des Hohenliedes. — 2 b, 1 Lies Rubescenti? — 3 b, 1 dextera B. — 4 b, 4 tramitis verstöfst gegen die sonst beobachtete Reinheit des Reimes; lies agminis? — 10 a, 1 prelium AB. — 10 a, 2 virga AB. — 13 a, 7 Donativus AB. — 13 b, 8 purpurea A.

101. In Festo Mariae Nivis.

1 a. Laudes Deo altissimo,
Christo decantet Domino
Felix mater ecclesia,

1 b. Iucundo qui miraculo
Salubrique oraculo
Suae matris sollemnia

2 a. Decoravit hodie,
Nives dum descendere
In Augusti tempore

2 b. Fecit mirabilius
Terram fundens citius,
Dum orat patricius.

3 a. Velut fortis Gedeon
Vellus vidit humidum
Terra sicca tota,

3 b. Siccam sic patricius
Terram prospexit [protinus]
Nive centro mota.

4 a. Per quem erigi congruam
Ibi fecit basilicam
Suae castae matris

4 b. Perenni sub memoria
Eius adaucta gloria
Filius Dei patris.

5 a. Iesu ergo o benigne,
Propter vota matris dignae
Nive tuae gratiae

5 b. Ignem carnis, labem mentis
Tolle, donum refulgentis
Da caelestis patriae.

Miss. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 190. add. saec. 15/16. — 4 a, 1 Per quas erigi. — 4 b, 1 Per eum sub. — 5 b, 1 labe nautis.

102. De beata Maria V.

a festo S. Stephani usque ad circumcisionem.

1 a. Gaude, mater Iesu Christi,
Verbum verbo concepisti,
Gabrieli dum dixisti:
En, ancilla Domini;
Maria.

1 b. Gaude, mater expers maris,
Porta caeli, stella maris,
Iesum laeta virgo, paris
Deum iunctum homini,
Maria.

2 a. Gaude, parens Dei nati,
Circumcisi, Deo grati,
Qui pro nobis venit pati;
Tu sis pia miseris,
Maria.

2 b. Gaude, videns venientes
Aurum, murram, tus ferentes
Magos, Iesum confitentes,
O regina sideris,
Maria.

3 a. Gaude, quia tuum natum,
Templo Dei praesentatum,
Simeone amplexatum,
Virgo mater, sequeris,
Maria.

3 b. Gaude, Iesus resurrexit
Laetos reddens, quos dilexit,
Omnes iustos secum vexit;
Serva nos ab inferis,
Maria.

4 a. Gaude, mater, cuius natus
Iesus scandens, laureatus,
Dextra patris est locatus;
Salva tuos filios,
Maria.

4 b. Gaude, quia Iesus misit
Bis sex denis, quos dimisit,
Sacrum flamen, quod promisit;
Tu nos rege devios,
Maria.

5 a. Gaude, licet sis defuncta,
Manens tamen inconsumpta
Et assumpta super cuncta
Es cum Iesu filio,
Maria.

5 b. Iesu mater, miserere
Et, quos Eva fecit flere,
Ubi gaudes, fac gaudere
Sempiterno gaudio,
Maria.

Miss. ms. Altomonasteriense saec. 15. Clm. Monacen. 2937. A. — Cod. S. Floriani III 13. saec. 15. B. — Collect. ms. Brigittinum saec. 15. (Privatbesitz) C. — 2 a, 2 tibi grati B. — Der Name Maria fehlt am Schlufs der Strophen B. — Vgl. W. Moll, 382; Klemming II, 125.

103. De beata Maria V.

In Octava Domini.

1 a. Fons hortorum, fons signatus,
Hortus clausus sed rigatus
Aqua sapientiae,

1 b. Rosa prima, rosa vernans,
Virga Iesse, virga praegnans,
Virgo stirpis regiae,

2 a. Flammans rubus sed non ustus,
Quo deletur dolens gustus
Pomi quondam vetiti,

2 b. Turris David, thronus regis,
Cedrus alta, frenum legis
Singularis meriti,

3 a. Clausa semper templi porta,
Per quam tamen lux est orta,
Lux eclipsis nescia,

3 b. Poli sidus, stella maris
Tu es, virgo singularis,
Novi solis regia.

4 a. Tu flos florum, floris mater,
Cuius natus est, qui pater
Ex natura gemina;

4 b. Tu nam lactas, quem adoras,
Sinu foves, quem imploras,
Grata Deo femina.

5 a. Digna ergo Dei parens
Vitiorum spinis carens,
Inter spinas lilium,

5 b. Nos ingratos, nos indignos
Gratos redde facque dignos,
Tuum placa filium.

6 a. Sed hanc tuam civitatem
Serva, virgo, tempestatem
Ab hac omnem adime,

6 b. Absit languor, absit error,
Absit hostis, absit terror,
Terrae motus maxime.

7 a. Clerum quoque, plebem totam,
Tibi fidam ac devotam,
Solito custodias

7 b. Et post huius vitae cursum
Ad perennem vitam sursum
Pervenire facias.

Grad. ms. Modoetinum saec. 15. Cod. Capit. Modoet. s. n. A. — Grad. ms. Modoetinum saec. 15. Cod. Capit. Modoet. s. n. B.

104. De beata Maria V.

Tempore paschali.

1 a. Verus homo, verus Deus,
Propter reos factus reus,
Carne crucifigitur;

1 b. Sic salvator condemnatur,
Ut mors iure moriatur,
Vita sponte moritur.

2 a. Et videris ratione
Non hic minus in agone
Tulisse quam filius,

2 b. Suum corpus victimam
Dedit, tuam animam
Pertransivit gladius.

3 a. Sed resurgens leo fortis
Aufert principatum mortis.
Praedam refert inferi,

3 b. Plus compassa patienti
Plus consurgis resurgenti
Quam sanctorum ceteri.

4 a. Placa nobis, o beata,
Parens natum, patrem nata,
Carnis pro flagitio

4 b. Ne mens ipsa flagelletur,
Sed in nobis iteretur
Christi resurrectio.

Cod. Trecen. (ol. Claravallen.) 1612. saec. 15. — Die Sequenz beginnt in der Hs. mit folgenden Versen:

Talis conceptio nil habet criminis,
Nec flore poprio vernare desinis,
In te fit unio matris et virginis
In tuo filio Dei et hominis.

Dieselben gehören offenbar nicht zum folgenden und sind mit Ausnahme des ersten Verses aus Anal. XX, Nr. 182, Str. 4 genommen. Es scheint fast der Anfang des Gedichtes zu fehlen, da die Anrede in 2a so unvermittelt auftritt.

105. De beata Maria V.

Sub Octava Pentecostes.

1 a. Veni, mater deica,
Veni, rosa caelica,
Arca sancti spiritus,

1 b. Veni, plena gratiae,
Veni datrix veniae,
Lima nostri generis.

2 a. Consolatrix omnium,
Tuum placa filium
Ad nostra suspiria,

2 b. In labore proxima,
Spes pro nobis optima
In Dei praesentia.

3 a. O puella nobilis,
Omnis per te flebilis
Meretur solacium,

3 b. Sine viri onere
Meruisti gignere
Salutem fidelium.

4 a. Lava cordis vitia,
Purga noctis saucia,
Sana mentis vulnera,

4 b. Flecte contumacia
Et corrige noxia,
Vi contere aspera.

5 a. Da in te sperantibus
Tuis servitoribus
Vitae refrigerium,

5 b. Da caelorum aditum,
Da sanctorum habitum
In perenni gloria.

Miss. ms. Glogaviense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 355. add. saec. 15. A. — Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 365. B. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F. 343. C. — Miss. ms. Cracoviense anni 1438. Cod. Capit. Cracovien. 2. D. — Miss. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 344. E.

1 b, 1 Veni Eva gratiae D. — 1 b, 2 doctrix C; ductrix B. — 2 a, 2 voca filium B. — 3 a, 1 O Maria nobilis D. — 4 a, 1 Sana cordis intima D. — 4 a, 2 corda saucia D. — 4 b, 3 Et contere D. — 5 a, 1 Da tuis fidelibus D. — 5 a, 2 Tibi servientibus D. — 5 b, 2 sanctorum meritum D. — Melodie: Veni sancte spiritus; überhaupt Nachahmuug letzterer Sequenz.

106. De beata Maria V.

Diebus Sabbatis.

1 a. Vas decoris et honoris,
Vas caelestis gratiae,

1 b. Templum nostri redemptoris,
Forma pudicitiae.

2 a. Miserorum miseratrix
Et lapsorum relevatrix,
Fons misericordiae,

2 b. Virgo, vitae reparatrix,
Angelorum imperatrix
Et caelestis curiae.

3 a. Virga Iesse generosa,
Super omnes speciosa
Flore, fructu, specie,

3 b. Servos tuos, gloriosa,
Gratos redde, gratiosa,
Christo, regi gloriae.

4 a. Ave, virgo, stella maris,
Mater sapientiae,

4 b. Audi virgo singularis,
Preces nostras hodie.

5 a. Flos, Maria, castitatis,
Pelle nostrae gravitatis
Onus et tristitiae,

5 b. Plagam nostrae pravitatis
Unge, mater caritatis,
Oleo laetitiae.

6 a. Dormientes in peccatis
Leva manu pietatis
De lacu miseriae,

6 b. Et per viam veritatis
Duc ad regem claritatis,
Scala domus regiae.

7 a. In qua frui valeamus
Per te, sancta, quam laudamus,
Sede sapientiae,

7 b. Ubi semper referamus
Deo grates et reddamus
In caelesti serie.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 4 a, 1 Que virgo (falsche Initiale) AB. — 7 a, 3 Sede patientiae AB. — Eine kürzere Form dieser Sequenz vgl. Anal. X, 106; vgl. auch die Reimgebete bei Mone II, 426.

107. De beata Maria V.

Diebus Sabbatis.

1 a. Ad haec festa sabbatina
Pangat nunc ecclesia

1 b. Sono duplo, voce trina
Mariae praeconia.

2 a. Haec est salus, haec est vita
Peccatorum omnium,

2 b. Haec turris bene munita,
Pauperum refugium.

3 a. Mater Dei, mater nostra,
Mater et angelica,

3 b. Quae cassavit, quae curavit
Venena diabolica.

4 a. Hostes terret turris illa
Fugans multa milia,

4 b. Domini haec est ancilla
Filii et filia.

5 a. Haec est myrtus, cuius virtus
Penetravit sidera,

5 b. Nardus sapit et hanc capit,
Rex, qui regit aethera.

6 a. Cui placet, ut nunc placet
Transgressoris crimina,

6 b. Quam exaudit et adplaudit
Per eius precamina.

7 a. O quam cara et quam clara
Est haec mater filio,

7 b. Quem arridet, quando videt,
Rosa iuncta lilio.

8 a. O quam plena et amoena
Est haec laude caelica,

8 b. Quam decorat, quam honorat
Phalanx archangelica.

9 a. Cupit natus, ut sit datus
Dies ille virgini,

9 b. Ut succedat et praecedat
Sollemnitas filii.

10 a. Stat cum eo, ut sit reo
Impetratrix gratiae,

10 b. Quam nil fessat, nam non cessat
Coram eius facie.

11 a. Ergo, pia o Maria,
Laudes nostras suscipe,

11 b. Nos a poenis et venenis
Serpentinis eripe.

12 a. Nos tuere, nos gaudere
Fac, o dulcis domina,

12 b. Immortali, aeternali
Commendans regi saecula

13. Per omnia.

Grad. ms. Murense anni 1532. Cod. Aargovien. M 4. fol. m. —

108. De beata Maria V.

1. Almiflua
caelorum turba

2 a. Individuae
trinitati
laudes concinit in astris.

2 b. Nos quoque in arvis
gratulantes
ipsius mysteria

3 a. Nisibus ex totis
per longa recitemus
devote tempora.

3 b. Exsultent cernendo
regis obtutum celsi
sanctorum agmina.

4 a. Iubilet et in huius
diei festa
populorum caterva

4 b. Poplite flexo Christi
solamen poscens,
paradisi gaudia,

5 a. Ut queant iter post
carnis mortem vitae
scandere superna,

5 b. Qua Dei genetrix
cum civibus almis
consistit Maria.

6 a. Quae meruit in tantum
conditoris aeterni
fore conspectibus
placita,

6 b. Ut humani generis
factorem generarent
casta sui corporis
viscera.

7 a. O virgo clausa per
aevum, per te cunctis
est patefacta
altithroni ianua.

7 b. Qua propter veniam
servulis, quaesumus,
[efflagitare]
prece [tua] sedula,

8. Qua perfrui tecum
mereamur gloria
per eum, qui regnat
in cuncta saecula.

Trop. ms. Nonantulense saec. 11. *Cod. Roman.* 1343 (*Sessor.* 62). — 2 a, 3 Da alle clausulae in a auslauten, ursprünglich wohl in astra. — 7 a u. b haben nach Ausweis der Neumen nur sehr unvollkommenen Parallelismus; auch fehlt 5 b, wie es scheint, ein Verbum; die Ergänzungen suchen das zu beheben.

109. De beata Maria V.

1 a. Ave, dulcis mater Dei,
Christi thronus requiei,
Maria templum gratiae;

1 b. Ave, advocata rei,
Digna cantu iubilaei,
Grata in prolis facie.

2 a. Ave, porta non aperta,
Dei numine referta
Sine viri collegio;

2 b. Ave, culpae inexperta,
Sola digna es reperta,
Tibi plaudit omnis regio.

3 a. Ave, mater sanctitatis,
Palma fulgens bonitatis
Prae singulis cum gloria;

3 b. Ave salus tribulatis,
Spes oppressis in peccatis,
Reis salus, memoria.

4. Ave, vera maris stella,
Praeelecta Dei cella,
Benedicta tu puerpera.

Miss. ms. saec. 15. *Cod. Monacen.* 2873.

110. De beata Maria V.

1 a. Ave, fulgens stella maris,
Mater thoro carens maris,
Super omnes sublimaris
Ierarchias ordinum.

1 b. Virgo manens mater paris,
Sola parens expers paris,
Unde iure nuncuparis
Virgo, decus virginum.

2 a. Ave, semper cara caris,
Ab adflictis invocaris,
Nempe quia praedicaris
Mediatrix hominum.

2 b. De te, mater singularis,
Caesus lapis angularis,
Cum quo sursum gratularis,
Caeli consors numinum.

3 a. Ave, decor puellaris,
Veri stola fide raris,
Immo scala salutaris,
Directrix ad Dominum.

3 b. Tu praepollens signis claris,
Actus vitae saecularis
Pie laves, cum dicaris
Expiatrix criminum.

4. Quae prae cunctis praemiaris,
Tuos semper tuearis,
Vitam puram largiaris
Mortis ante terminum.

Cod. Trecen. (ol. Claraevallen.) 1612 saec. 15. — Wahrscheinlich Sequenz auf die Melodie Verbum bonum et suave unter doppelter Wiederholung des letzten Chorals.

111. De beata Maria V.

1 a. Ave, luna, quam fundavit
Sol, qui mundum visitavit
Apparens hominibus,

1 b. Cum est nostri recordatus,
Paulo minus minoratus
A supernis civibus.

2 a. Tu es sponsa, de qua sponsus,
Tamquam nube sit absconsus,
Deus noster prodiit,

2 b. Qui de summis est egressus
Et ad summum est regressus,
Cum ad patrem rediit.

3 a. O Maria, mater Christi,
Deum ex te genuisti
Sine carnis macula,

3 b. Qui rex potens, Deus fortis,
Expugnavit hostem mortis
Nostra solvens vincula.

4 a. Ave, parens o beata,
Quae in veste deaurata
Nites ante Dominum,

4 b. Praeis omnes cum corona,
Te sequuntur fronte prona
Omnes coetus virginum.

5 a. Dulciter quae redoles
Miseris et condoles,
Preces Deo immoles
Pro nobis, ut assoles,
O vas deitatis.

5 b. Vallis vernans liliis,
Quae vacas deliciis,
Nostris nunc miseriis
Assis tu suffragiis,
O fons pietatis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

112. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater claritatis,
Sanctitatis speculum,

1 b. Ave, mater pietatis,
Caritatis vinculum,

2 a. Ave, mater munditiae,
Castitatis lilium,

2 b. Ave, genetrix gratiae,
Trinitatis gaudium.

3 a. Tuum pro nobis filium
Exora, regem gloriae,

3 b. Ut nos ad contubernium
Perducat caeli curiae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

113. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater gratiae,
Speculum ecclesiae,
Luminare gentium.

1 b. Ave, virgo regia,
Dei plena gratia,
Virginale lilium.

2 a. Templum sancti spiritus,
Obumbratum caelitus,
Portus post naufragium,

2 b. Stella maris lucida,
Virga Iesse florida,
Dei gignens filium.

3 a. Gaude, iubar saeculi,
Christiani populi
Spes atque refugium,

3 b. Sis norma credentibus,
Spes, via petentibus
Caeleste palatium.

4 a. Virgo, porta gloriae,
Fons misericordiae,
Salus infirmantium,

4 b. Delinquentes erige,
Paenitentes dirige
Ad optatum bravium.

5 a. Mundi mater, domina,
Ne nos perdant crimina,
Tuum fer auxilium,

5 b. De valle miseriae
Nos manu clementiae
Duc ad verum gaudium.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Melodie: Veni sancte spiritus.

114. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater gratiae,
Virginale gaudium,
Hortulus clementiae,
Reorum refugium,
Pietatis rivulus,
Quo manat remedium
His, qui pro criminibus
Merentur supplicium.

1 b. Maria, considera,
Cuius refrigerio
Lumen, pectus, ubera
Dedisti cum gremio;
Huic ergo impera
Matris privilegio,
Ne post carnis funera
Nos reddat supplicio.

2 a. O benigna,
Tuo nato nos consigna,

2 b. Gaude, digna
. . . .

3 a. Gaude, caeli domina,
Mundi tollens crimina,
Mater orphanorum,

3 b. Gaude, felix femina,
Dulcis super omnia,
Sola spes lapsorum.

4 a. O plena prae ceteris
Gratia divina,
Nos a culpae veteris
Expia sentina,
Dulcis Maria,
Virgo pia

4 b. Mater misericordiae
Et caeli regina,
Reis indulgentiae
Poculum propina,
Clemens Maria,
Flos benigna.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — Eine kürzere Fassung der Sequenz. s. Anal. X, 103.

115. De beata Maria V.

1 a. Ave, mater orphanorum,
Consolatrix miserorum,
Solamen desolatorum,
Lux in mundi tenebris,

1 b. Virgo David stirpe nata,
Ab angelo salutata,
Sacro flatu fecundata,
Non carnis illecebris.

2 a. Evae nomen mutans ave,
Per hoc verbum tam suave
Sic pressorum releva vae,
Ut gementes visites.

2 b. Carens labe Sunamitis,
Cum tam pia sis et mitis,
Fac, quae prodit ex te, vitis
Veri simus palmites.

3 a. Eia, mater, advocata,
Natum mater, patrem nata
Roga, ne nos hic peccata
Trahant ad interitum.

3 b. Lacrimarum seda flumen,
Quod ocellis det acumen,
Ut videant verum lumen
A reis absconditum.

4 a. Infer cor, quod diligat te
Nec errare queat a te
Sed exerceat [beate]
Tuum beneplacitum.

4 b. In te mens inveniat
Fructum, qui sic satiat,
Ut nunquam fastidiat
Illum habens habitum.

5 a. Amarum quod est, dulcora,
Quod insulsum est, sapora,
Ut sit bonum malum, ora,
Quod bonum est, meliora,
Et melius optima.

5 b. Natus praestat sine mora,
Te exaudit quavis hora,
Rore caeli cor irrora,
Nostri luctus vim minora,
Minoratum minima.

6 a. Uia morum, vitae norma,
Cuius clarent caeli forma,
Virtutibus nos informa,
Nato tuo nos conforma,
Cui curvamus genua.

6 b. Ad quem, qualescunque simus,
Pervenire quo possimus,
Quam ianuam caeli scimus,
Huic clamemus quantum quimus:
Ave, caeli ianua.

Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 365. — 5 a, 5 optima von optimare nach Analogie von meliorare; ebenso 5 b, 5 minima von minimare. — 6 a, 2 caeli norma. — Akrostichon: Ave caeli ianua.

116. De beata Maria V.

1 a. Ave, mundi reparatrix,
Trinitatis inclinatrix
Herbido triclinio,

1 b. Veri patri decens nata,
Flamini sponsa optata,
Mater summo filio.

2 a. Dominatrix supernorum,
Placa regem creatorum,
Ut tuo suffragio

3 b. Eius apud trinitatem
Contemplemur unitatem
In perenni gaudio.

Cod. ms. Virunen. 172 saec. 15.

117. De beata Maria V.

1 a. Ave, nympha salutaris,
Summi patris natum paris,
Virgo pura, singularis,
Fons dulcoris, stella maris.

1 b. Ave, verae vitae datrix
Et a nece liberatrix,
Angelorum imperatrix
Ac caelorum dominatrix.

2 a. O Maria, mater facta,
Non a viro tamen tacta,
Virgo parens, sed intacta,
Miro modo mater facta.

2 b. Orbis gemma, orbis vita,
In corona regis sita,
Pietate expolita,
Caritate insignita.

3 a. Salve, virgo, parens Christi,
Nos a luctu serva tristi,
Des solamen choro isti,
Dulcis mater Iesu Christi.

3 b. Salve, salus infirmorum,
Medicina languidorum,
Verum lumen es caecorum
Et adiutrix peccatorum.

4 a. O virtutis disciplina,
Dos salutis, lux divina,
Nos exaudi, flos de spina,
Deprecamur voce trina.

4 b. O lux, nostras faeces cura,
Mater virgo non natura,
Nos a nece serva dura
Post ruinam, virgo pura.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414.

118. De beata Maria V.

1 a. Ave, parens singularis,
Decus caeli, terrae, maris,
Angelorum, hominum,

1 b. Digna digne commendaris,
Quae cunctorum expers maris
Peperisti Dominum.

2 a. Virgo casta praedicaris,
Stella maris appellaris
Et regina virginum,

2 b. Super choros elevaris
Angelorum in praeclaris,
Lucis luminarium.

3 a. Eia, mater o Maria,
Virgo clemens, virgo pia,
Christo nos concilia,

3 b. Ne nos satan in hac via
Mundi victos sophistria
Caeli privet gloria.

4 a. Mentis dulcis harmonia,
Memorare, felix, quia
Tu es plena gratia,

4 b. Iuva vera nos sophia,
Ut te dulci melodia
Laudemus in patria.

5 a. Ad te clamat peccatorum,
Feminarum, masculorum
Tota simul contio,

5 b. Orphanorum, adflictorum,
Clericorum, laicorum,
Te pulsat devotio.

6 a. Riga mentes singulorum
Rore sacro supernorum,
Ut de hoc exsilio

6 b. In conventu angelorum
Te sequamur et sanctorum
Pleno cum tripudio.

7 a. In praesentis fine vitae
Iesus et tu subvenite
Nobis in auxilium,

7 b. Ne contingat illud *Ite*
Nos audire nec *Redite*,
Quod damnabit impium.

8 a. Absit hoc horrendum *Ite*,
Iesu bone, dic: Venite
Ad perenne gaudium;

8 b. Quod dicetur his, qui mite
Vivunt et sunt absque lite
Praesens per exsilium.

Grad. ms. Montis s. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 502. — 3 a, 1 Eia, mater, eia, Maria. — Akrostichon: Ave Maria.

119. De beata Maria V.

1 a. Ave, porta gratiae,
Portus pudicitiae,
Sponsa salvatoris,

1 b. Aula sapientiae,
Thalamus clementiae,
Sedes redemptoris.

2 a. Fons signatus, es rigatus
Rore spiritali,
Fons sacratus, fons dotatus
Partu virginali.

2 b. Tu sigillum trinitatis,
Iacob scala rutilans,
Vexillum humilitatis,
Daemones emutilans.

3 a. Vestis Ioseph, quam ornavit
Deus sacro flamine,
Quam pro nobis madidavit
Christus suo sanguine.

3 b. O peccator in profundo
Vitiorum positus,
Hanc honora corde mundo,
Templum sancti spiritus.

4 a. O Maria, virga Iesse,
Quae reis nescis abesse
Petentibus veniam,

4 b. Fac nos peccatis deesse,
Ostende te matrem esse
Conferendo gratiam.

5. Virgo mater, o Maria,
Plausu bino te laudamus,
Ut ad caelos ascendamus
Per tua suffragia.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

120. De beata Maria V.

1. Ave, salus gentium,
Mater regis gloriae,

2 a. Tu thronus constantiae,
In te rex iustitiae
Munditiae

2 b. Conservavit ostium.
Tuorum fidelium
Omnium

3 a. Ad te mentes erige,
Vias supplicantium

3 b. Et gressus clamantium
Egentium dirige.

4 a. Mellis stilla,
Maris stella,
Rosa primula,

4 b. Tu mamilla
Stillas mella,
Iesse virgula.

5 a. Expers paris,
Virgo, paris
Patrem filia.

5 b. Ordo stupet,
Cuius supplet
Vicem gratia.

6 a. Mediatrix,
Vitae datrix,
Mundi domina,

6 b. Via vitae,
Mortis tritae
Tu victoria.

7 a. Per te detur,
Ut purgetur
Faecis scoria,

7 b. Qua purgati
Sint beati
Tua gratia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 6 a, 3 Lies: Mundi gloria. — 7 b, 2 Tua gratia. — 7 b, 3 Sint laude beati.

121. De beata Maria V.

1 a. Ave, salve, condimentum
Permutantis in pigmentum
Nostrae mortis situlam,

1 b. Haec sunt dona potestatis,
Non naturae, immo gratis
Verbi sumpsit copulam.

2 a. Regem regum parientis
Laudes promat concinentis
Chori iubilatio,

2 b. Patrem natae proferentis
Sit cum cantu purae mentis
Plena modulatio.

3 a. Laude tanta cum perpendis,
Caro carens carnis mendis
Verbi facta socia,

3 b. Sola Christi partu digna
Veneretur tam benigna
Virgo viri nescia.

4 a. Virgo manens sola matrum,
Ora patrem, iube natum
Servos matris visere,

4 b. Ut te duce, stella dicta,
Nos vagantes per delicta
Tuo trahat littore.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 2 b, 2 naturans. — Das Lied scheint Sequenz zu sein.

122. De beata Maria V.

1 a. Ave, stella fulgida,
stella salutaris,
Stella, de qua prodiit
radius solaris,
Mentis pelle tenebras
nec nos patiaris
Absorberi fluctibus
procellosi maris.

1 b. Ave, mater gratiae,
gemmis redimita,
Mater, per quam pauperum
vox est exaudita,
Tuus nobis filius
in praesenti vita
Via sit et veritas
in futura vita.

2 a. Ave, Dei thalamus,
pudoris conclave,
Missus est archangelus
cui dicens „Ave“,
Te laudantes petimus,
erue nos a vae,
Quod induxit facinus
protoplasti grave.

2 b. Ave, naufragantibus
lucens stella maris,
Quae per mundi climata
Maria vocaris,
Esto tuis famulis
portus salutaris
Et lapsos in crimine
reduc sacris aris.

3. Ave, gemma virginum,
gratiae piscina,
Tibi grates solvimus,
aurem huc inclina
Et, quos hostis adgravat,
premit culpae spina,
Redde gratos et a fraude
muni serpentina.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — 1 b, 3 Mater fehlt. — 3, 9 eine Silbe zu viel; verdorben?

123. De beata Maria V.

1 a. Ave, virgo laude digna,
Ave, pia et benigna,
Ave, plena gratia,

1 b. Ave, mater pietatis,
Fax et gemma caritatis,
Virgo, Sion filia.

2 a. Porta caeli, maris stella,
Mundi salus, Dei cella,
Templum sancti spiritus,

2 b. Hortum tuum qui rigavit
Et rigando germinavit
Fructum vitae caelitus.

3 a. In te Deum humanari,
Nube carnis occultari
Firma docet litera,

3 b. Fecundata virga flore,
Stella sole, vellus rore,
Virgo Dei filio.

4 a. Unitur carni deitas,
Deum parit integritas
Conspirante flamine,

4 b. Divina sapientia
Sic patris providentia
Nascitur ex virgine.

5 a. Ramus florens et onustus,
Rubus ardens nec combustus
Matrem signat virginem,

5 b. Quae intacta concepisti,
Virgo manens peperisti
Deum atque hominem.


6 a. Ima summis foederavit
Stella Iacob, radix David,
Mediante gratia,

6 b. Per quam reis salus datur,
Homo lapsus sublimatur
In caelesti gloria.

7 a. Ergo, mundi spes, Maria,
Pro indignis, mater pia,
Interpella filium;

7 b. Amor patris, spirans flamen,
In hac valle sis solamen
Et perenne gaudium.

Lect. ms. Villariense saec. 13/14. Cod. Vindobonen. 1134. — 3 b, 3 Der Reim verlangt Dei filia.



124. De beata Maria V.

1 a. Ave, virgo, parens munda,
Maris expers et fecunda,
Nulli compar aut secunda
Partu castimoniae.

1 b. Vitiorum necnon munda
Et virtute nos fecunda,
Votis nostris sis secunda
Zelo matris, filiae.

2 a. Electorum nulli par es,
Nam, dum verbo sacro pares,
Cunctas tibi sexu pares
Supplantas concipiens.

2 b. Maris stella, cuius ortus
Mare sedat, florens hortus,
Unde florum flos est ortus,
Viris vitam pariens.

3 a. Ave morum fons insignis,
Fonte vitae nos insignis,
Quem sub typo, quem in signis
Signat legis litera.

3 b. Rubi signum, iubar soli,
Lux praecellens luce soli,
Digna sola Deo soli
Dare matris ubera.

4 a. Iesse virga, verbi sedes
Incarnati, natum sedes
Tuum nobis, cum quo sedes
In excelsis gloriae.

4 b. Ave, clemens, mitis, ave,
Tuum nobis illud Ave
Munitivum fiat a Vae,
Collativum gratiae.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 1 Vale virgo. — Jedenfalls Sequenz, wohl auf die Mel. Verbum bonum mit Wiederholung des letzten Chorals. Akrostichon: Ave Maria.

125. De beata Maria V.

1 a. Ave, virgo virginum,
Regina angelorum,
Stirpis Iesse virgula,

1 b. Quae auctoris luminum,
Redemptoris hominum
Exstitisti gerula.

2 a. Quae illaeso hymine
Sine viri semine
Utero concepisti,

2 b. Absque quovis dolore,
Ineffabili more
In mundum protulisti

3 a. Et in annis teneris
Tui sacri uberis
Pastu reficiebas,

3 b. Continentem omnia
Strictissima fascia
In praesaepi cingebas.

4 a. Ulnis quem baiulabas,
In templum praesentabas
Cum legali hostia,

4 b. Hic in cruce levatus,
Pro nobis immolatus,
Caeli pandit ostia.

5 a. Iesu, fili Mariae,
Virginis castissimae,
Audi nos, te rogamus,

5 b. Dele nostra crimina,
Ut caelorum limina,
Ingredi valeamus.

Grad. ms. Pragense saec. 16. in. Cod. Pragen. VII A 13. Mel.: Veni sancte spiritus. Dies Graduale mufs zu Anfang des 16. Jahrhunderts geschrieben sein, da seine hinteren Partieen „christlich korrigiert" erscheinen. Manche Sequenzen finden sich zweimal, vorne echt, hinten purgiert, so dafs augenscheinlich, während das Gradual geschrieben ward, die durch diese Korrekturen gekennzeichneten Ideen in Schwung kamen.

126. De beata Maria V.

1 a. Ave, vitae reparatrix,
Reginarum imperatrix,
Sanctitatum sanctitas,

1 b. Dominarum dominatrix,
Peccatorum mediatrix,
Sanitatum sanitas.

2 a. Patrem paris,
parens et filia,
Tibi soli
constat haec gloria,
Gemma tu mortalium.

2 b. Ave, mundi
rosa mundissima,
Rosa fragrans,
rosa purissima,
Reis da remedium.

3 a. Evae culpam delevisti,
Solem stella genuisti,
Genitorem filia,

3 b. Mortem morte qui domando,
Lacum faecis emundando
Secum traxit omnia.

4 a. Moriendo mortem stravit,
Ad inferna pervolavit,
Vectes fregit ferreos,

4 b. Suis ibi se ostendens,
Ad se traxit manus tendens,
Derelinquens miseros.

5 a. Ave, per quam salus datur,
Ave, per quam solidatur
Nostra insoliditas,

5 b. Ave, per quam relaxatur,
Ave, per quam deleatur
Reatus enormitas.

6 a. Ave, mater
regis iustitiae,
Fons salutis,
origo veniae.

6 b. Caeli porta,
domus laetitiae,
Deviantes
reformans gratiae.

7 a. Te precamur, nos absolve
Absolutosque refove
Nos in caeli curia,

7 b. Ubi Christum collaudemus
Incessanter et cantemus
In excelsis Gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1, 1 Ave, salve reparatrix. — 2 a, 5 tu fehlt.

127. De beata Maria V.

1 a. Benedicta
es, insignis puella,
Quae iubar
immensum dans stella
Appellaris Maria.

1 b. Per te, mater
salvatoris serena,
Caelestis
gratiae perplena,
Destruuntur vitia.

2 a. Tu nati nata
Cunctis praelata,
Regina caelorum beata
Diceris per omnia.

2 b. Supremum solem,
Per tuam prolem
Prementis culpae delens molem
Conferas solacia.

3 a. O virga producens nucem,
Praetende, quam paris, lucem
Illis, quos redemit per crucem
Donans vitae praemia,

3 b. Post carnis nostrae ruinam
Ut per te caeli reginam
Et gratiam datam divinam
Ducat nos ad gaudia.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — 1 b, 4 gratia. — 3 a, 1 virgo.

128. De beata Maria V.

1. Benedicta
sit beata
genetrix
et nutrix
ingeniti [Dei],
genitoris filia.

2 a. Sacri flaminis
Cella libaminis,
Quam sacer artifex
aurea
Texit quadrans regula.

2 b. Urna aurea,
Porta vitrea,
Fiscella parvuli
scirpea,
Florens Iesse virgula.

3 a. Quam felix terra, quam ferax,
Cuius incola est verax
Mater vitae, quae
pertulit
Verum Dei filium.

3 b. O felix terra Maria,
O felix mater et pia,
Porta permanens
pervia,
Para vitae praemium.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. — Melodie augenscheinlich: Benedicta sit beata trinitas (Anal. VII, 109), die drei ersten Choräle.

129. De beata Maria V.

1. Christe, prece matris,
qui sedes ad dexteram patris,

2 a. Salva nos et serva
in saeculum saeculi,

2 b. Ubi te sanctorum
contemplantur oculi.

3. Dele culpam,
conserva vitam,
perduc nos ad gloriam.

Grad. ms. Sangallense anni 1507. Codex Sangallen. (Brander) 546. — „Alia brevissima sequentia de BMV.“ Mit Melodie.

130. De beata Maria V.

1 a. Christi matrem collaudemus
Et in bonis abundemus
Terga dantes vitiis,

1 b. Ovans ovet omnis mundus,
Nam mundatur vir immundus
Eius beneficiis.

2 a. Haec suavis et benigna
Invenitur sola digna
Protulisse filium,

2 b. Qui peccata mundi tollit,
Altos premit et extollit
Cathedras humilium.

3 a. Haec est portus nostrae spei,
Nostra salus atque Dei
Genetrix ac filia,

3 b. Mundi lumen, stella maris,
Rosa rubens singularis,
Fragrans super lilia.

4 a. Architecto caeli nupta,
Virgo manens incorrupta
Mundo Christum protulit,

4 b. Hinc dolores, planctus, luctus
Abolevit atque fructus
Nobis vitae contulit.

5 a. O res munda mundum mundans,
Cum in promptu sit redundans
Sicca prius area,

5 b. Ut ros vellus madidavit,
Sic puellam gravidavit
Granum sine palea.

6 a. Ergo salve, sancta parens,
Bonis plena, malis carens
Et dolore vacua,

6 b. Inimici pelle fraudes,
Persolventes tibi laudes
Sordibus evacua.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Str. 1 geht folgende Str. vorher, die nicht zum Gedichte zu gehören scheint:

Vale, arca testamenti,
Novum sidus firmamenti,
Ceteris splendidius,
Tu es botrus dignus flore,
Vellus madens, plenum rore,
Lilio candidius.

131. De beata Maria V.

1 a. De Maria, matre pia,
Per quam solam vitae via
Datur ad caelestia,

1 b. Dulce melos depromamus,
Ut ipsius sentiamus
Optata suffragia.

2 a. Haec est vere pulchra tota,
Sine labe, sine nota,
Sola plena gratia,

2 b. Sola soli patri grata,
Est prae cunctis honorata
Casti partus gloria.

3 a. O miranda genitura!
Patrem virgo permansura
Patris parit filia;

3 b. Mater parit natum patris,
Pater gignit patrem matris
Miranda potentia.

4 a. Ave, virgo, mater Dei,
Ad te clamant omnes rei,
Placa patrem, filia.

4 b. Ave, virgo, spes salutis,
Confer opem [constitutis]
Nobis in miseria.

5 a. Tu pudica, casta, munda,
Impudicos nos emunda,
Lava, terge vitia

5 b. Et cum clero plebem totam
Tuam et tibi devotam
Duc ad vitae gaudia.

Grad. ms. Montis s. Mariae saec. 14. in. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 502.

132. De beate Maria V.

1 a. Diligenter recolatur
Mariae memoria,

1 b. Per quam mundo declaratur
Salus et laetitia.

2 a. Haec est domus, quam fundavit
Summa diligentia

2 b. Et in ea repausavit
Dei sapientia.

3 a. Haec est quidem urbs munita
Multa providentia,

3 b. Quam munivit infinita
Gratiarum copia.

4 a. Haec est magna Salomonis
Et mater et filia,

4 b. Haec contrivit Pharaonis
Caput et imperia.

5 a. Ergo dicat christianus:
Ave, plena gratia;

5 b. Nosque regat sua manus
Per mundi naufragia.

Miss. ms. Ebroicense saec. 13. Cod. Londinen. Add. 26655. add. saec. 15. A. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. B. — Missale Constantiense imp. Rotomagi 1499. C. — Missale Baiocense imp. 1501. D.

Str. 1 und 2 umgestellt B. — 2a, 1 Vale domus quam B. — 3a, 1 Vale quidem urbs B. — Str. 4a fehlt B. — 4b, 1 Contrivisti Pharaonis B. — 5a, 1 *Virgo dicat* A. — 5b, 1 *tua manus* B.

133. De beata Maria V.

1 a. Exaltemus et laudemus
Corde devotissimo

1 b. Matrem illam, quae mamillam
Praebuit altissimo.

2 a. Venter cuius mundi huius
Salvatorem genuit,

2 b. Regit polum, mare, solum,
Quem in ulnis tenuit.

3 a. Sacra parens, labe carens,
Salutis puerpera.

3 b. Stella maris, ab amaris
Casibus nos libera.

4 a. Mater Dei, per quam rei
Redeunt ad veniam,

4 b. Seda diram clemens iram
Ac refunde gratiam.

5 a. Hostes arce, servis parce,
Tibi famulantibus
Et felicem genetricem
Dei te sperantibus.

5 b. Sis adiutrix, Dei nutrix,
Christiani populi,
Cuius votis ad te totis
Diriguntur oculi.

6 a. Spes lapsorum, contritorum
Sola consolatio,

7 a. Natum ora et implora,
Ne plebs eius pereat,

6 b. Quem adorat et honorat
Angelorum contio,

7 b. Sed ductrice genetrice
Te ad vitam redeat.

Miss. ms. S. Iohannis Beverlacen. saec. 15. Cod. Londinen. Arund. 109. — 2 b, 2 Quem in cuius tenuit. — Mel. jedenfalls: O beata beatorum.

134. De beata Maria V.

1 a. Flore novo fit odorus,
Novo partu fulgens thorus
Virginis puerperae,

2 a. Virgo parit et miratur,
Quod tam mira comitatur
Pudorem fecunditas,

3 a. Dignam huius, dignam floris
Sensit Adam vim odoris
Positus exsilio,

4 a. Hoc de flore quod manavit,
Cuius gustus gustum lavit
Deglutitum temere.

5 a. Virga sicca istum dedit,
Quae florere nunquam cedit,
Dum floret in filio,

6 a. Hac erumpens virga granum
Caeli panem orbi sanum
Dat sumendum hodie,

1 b. Novam matrem flos fecundat,
Sed pudoris flos redundat
Novo legis foedere.

2 b. Caelum stupet et laetatur,
Quod sic nostrae reparatur
Unionis dignitas.

3 b. Cum per crucis hic soporem
Pomi gustum et saporem
Mundat stillicidio,

4 b. Felix floris haec punctura,
Qua caeli, terrae iunctura
Fit per crucem propere.

5 b. Ager plenus, quo virescit
Et in sanctis enitescit
Rosa, spica, lilio.

6 b. Ut sic grano couniti
Vita simus et muniti
Iuste, pie, sobrie.

Cod. Vatican. 3087. saec. 13. — 6 b, 2 sumus.

135. De beata Maria V.

1 a. Gaude, gloriosa
Mundi vernans rosa,
Reformatrix omnium,

2 a. Ave, virgo deifera,
Ornans terram et aethera,
O felix puerpera,

3 a. Stella mirabilis,
Conforta flebiles,
Mater amabilis,
Sustenta debiles
Nos, virgo Maria.

1 b. Regum progenies,
Pauperum tu quies,
Tu salus credentium.

2 b. Decor agri purpureus,
Mentis sapor aethereus,
Sis nobis propitia.

3 b. Esto propitia
Et, sicut credimus,
In domum Domini
Laetantes ibimus
Te stella praevia.

4 a. Gaude, mundi dominatrix,
Reginarum imperatrix,
Peccatorum liberatrix,
Gaude, virgo, mater pia.

4 b. Virgo virginum, Maria,
Gaude semper, gaude, quia
Tu es vera lucis via
Tendens ad vera gaudia.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. A. — Miss. ms. S. Iohannis Beverlacen. saec. 15. Cod. Londinen. Arund. 109. B. — Missale Lausannense imp. Gebennis 1522. C. — 1b, 1 Tu regum ABC. — 1b, 2 Pauperumque AC. — 2a, 1 dei fixa C. — 2b, 2 Sapor mentis C. — 4a und b *falsch abgetheilt* A. — 4b, 1 virginum regina B.

136. De beata Maria V.

1 a. Gaude, Iesu mater pia,
Mundi lumen, o Maria,
Salutis triclinium;

1 b. Ave, decus virginale,
De qua Christus singulare
Vitae prodit lilium.

2 a. Tu signatum et sacratum
Vas, politum et conditum
Condimento gratiae,

2 b. Tu superni Salomonis
Thronus, vellus Gedeonis
Es roratum numine.

3 a. Nescit mundus tibi parem,
Nam per palmam singularem
Dei es hospitium;

3 b. Rosa novum promis florem,
Qui refovet per odorem
Sunamitis filium.

4 a. Tu in caeli curia
Habes privilegia,
Angelorum domina,
Cunctis praestans coetibus.

4 b. Luna praeest omnibus
In caelo sideribus,
Sic tu praees omnibus
Sub caelo degentibus.

5 a. Gaude, virgo lactans prolem,
Stella summum fovens solem,
Angelorum domina;

5 b. Gaude, Iesse germen iustum,
Fructum terrae dans venustum
Per arcana semina.

6 a. Nato, mater, nos commenda,
Ut exutos omni menda
Nos locet in gloria,

6 b. Teque [nobis], Christe, dona
Mente, voce, manu bona
Ad vitae fastigia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4a, 4 Cunctans.

137. De beata Maria V.

1 a. Gaude, plebs catholica,
Laudes dans et cantica
Matri regis gloriae,

1 b. Vere digna laudibus,
Per quam fluxit gentibus
Oleum laetitiae.

2 a. Primae matris vitium
Traxit in exsilium
Nos et in miseriam,

2 b. Sed nos ab exsilio
Virgo felix filio
Reduxit in patriam.

3 a. Pater misit nuntium
Et concepit filium
Virgo viri nescia.

3 b. Mater in visceribus
Novem tulit mensibus
Regem, qui fert omnia.

4 a. Mundo Christum edidit
Nec pudorem perdidit
Virgo, decus virginum,

4 b. Stella solem genuit,
Nata patrem protulit
Et ancilla dominum.

5 a. Virgo, salus hominum,
Per te nobis criminum
Largiatur venia,

5 b. Per te dentur gentibus
Tibi servientibus
Sempiterna gaudia.

Sequent. ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. A. — Orat. ms. Domus Novae lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. eccl. 375. B. — Melodie jedenfalls: Veni sancte spiritus.

138. De Beata Maria V.

1 a. Gaude, Sion mater, gaude,
Corde, voce, manu plaude,
In reginae caeli laude
Attollens praeconium.

1 b. Die ista domus Dei
Pari voce psallat ei,
Per quem flentes, per quem rei
Nacti sunt remedium.

2 a. Prima parens paradisum
Clausit, nobis trusit visum,
Facti sumus in derisum
In conspectu hostium.

2 b. Miser Adam, primus homo,
Est expulsus Dei domo,
Subit poenam, perdit pomo
Patriam vitalium.

3 a. Per hunc fructum Evae fructus
Ex natura fit corruptus,
Unde dolor, unde luctus
Finibus terrestrium.

3 b. Hoc de fructu condolentes
Obstupescunt nostri dentes,
Paradiso pulsi flentes
Subimus exsilium.

4 a. Nobis diu exsulatis
Dolet pater pietatis
Et misertus desolatis
Suum misit filium.

4 b. Inclinavit maiestatem
Nostram ad utilitatem,
In ancillae castitatem
Assumens hospitium.

5 a. Hospitata Dei prole
Stella maris mixta sole,
Gravidatur sine mole
Virginale gremium,

5 b. Quo procedit specialis
Fructusque medicinalis,
Aufert morbos, confert malis,
Perimit daemonium.

6 a. Sit hic fructus benedictus,
Cedit hostis, ruit victus,
Homo lapsus stat ascriptus
In libro viventium.

6 b. Benedicta radix Iesse,
Nos vitali replens messe,
Quae dat suos salvos esse
Suum per obsequium.

7 a. Virgo mater, o Maria,
Virgo clemens, virgo pia,
Per quam patet nobis via
Ad caeli palatium.

7 b. Pietatem imploramus,
Proclamantes te rogamus,
Confer nobis, quod optamus,
Filium propitium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. A. — Miss. Upsalense imp. s. l. et a. (Holmiae 1483?) B. — 1 b, 3 quem flentes per quem B. — 2 a, 3 simus B. — 5 a, 1 Hospita A. — 5 a, 2 mixto B. — 5 b, 2 Fructus aegris medicalis B. — 5 b, 3 morbos liberat a malis A; confert absolut = ist zuträglich?

139. De Beata Maria V.

1 a. Gaude, sponsa speciosa,
Arca Iesu generosa,
Candens plus quam recens rosa,
Rutilans prae omnibus.

1 b. Manna caeli digne dicta,
Hostis victrix tu invicta,
Cedrus es et benedicta,
Redolens prae floribus.

2 a. Palma, tus, gemma probata,
Vitis, vinea vocata,
Terra caelitus rorata,
Supernorum domina.

2 b. Porta caeli atque scala,
Removens a nobis mala,
Tua loca nos sub ala
Penes poli agmina.

3 a. O caelestis margarita,
In sublimi throno sita,
Nostris fulge cordibus,

3 a. Ut fulgore tuo tracti
Iuncti simus et compacti
Paradisi civibus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3 b 2 Iuncti et compacti simus. — Jedenfalls Sequenz.

140. De Beata Maria V.

1 a. Gaude, stella parens solis,
Gaude, virgo fructu prolis
Fecundata caelitus,

1 b. Rosa vernans, stirps electa,
Deum ferens et humecta
Rore sancti spiritus.

2 a. Notus Deus in Iudaea,
Homo natus est in ea
Spes communis omnium,

2 b. Vervex ille nobis datur,
Qui pro Isaac mactatur
Dulce sacrificium.

3 a. Sine succo, sine rore
Viret virga, dans cum flore
Novae fructum gratiae,

3 b. Dulcem nucem, veram lucem
Pium regem, rectum ducem
Ad quietem patriae.

4 a. Fracta fuit legis vena,
Iam aperta, iam serena
Signa fiunt vetera,

4 b. Noctem fugat lux amoena,
Per lucernam in lagena
Ionae marcet hedera.

5 a. Iam aufertur sceptrum Iuda,
Synagoga iacet nuda
Scisso legis tegmine.

5 b. Tange liram, sona laudes
Tu, qui Christum natum gaudes
Ex Maria virgine.

6 a. Umbra sumus, faex et fimus,
Pressi malis iam perimus,
O Maria, nisi simus
Tuis tuti precibus.

6 b. Mater vera regis veri,
Potes, si vis, nos tueri,
Praesta nobis promereri
Locum in caelestibus.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 b, 2 ferax. — 6 a, 1 et fumus. — Offenbar Sequenz.

141. De beata Maria V.

1 a. Gaudete et
plaudite manibus,
Deus enim
datur hominibus;
Natum, matrem
pulsate precibus,
Ut nos solvat
a mundi nexibus.

1 b. Per hanc matrem
venit laetitia,
Qua deletur
Evae tristitia,
Osculatur
pacem iustitia,
Terra dedit
promissa gaudia.

2 a. Nutu patris vis amoris
Hortum matris inflammavit;

2 b. Vellus rorem, luna solem,
Virga florem germinavit.

3 a. Fons signatus, porta clausa
Patent sine viri causa,
Haud miratur hoc natura.

3 b. Talis namque genitura
Decet Deum, paritura
Creatorem creatura.

4 a. Hic in sole collocavit
Suum tabernaculum,
Ambulantem visitavit
Lux in nocte populum.

4 b. Consolati visa luce
Cognoverunt Dominum,
Quem venturum exspectabant
Redemptorem hominum.

5 a. Virgo munda, virgo pia,
Templum Dei, caeli via,
Dona nobis caritatem
Et cum sanctis unitatem.

5 b. Deme nisum, praesta visum,
Redde nobis paradisum,
Ubi finis est laborum,
Plenitudo gaudiorum.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 3 a, 3 Aut miratur. — 5 b, 4 Et plenitudo.

142. De beata Maria V.

1. Gaude, virgo dulcissima,
Dei filii parens sanctissima,
Semper manens pudica.

2 a. Haec enim gloria
soli Mariae
est congrua,

2 b. Ut virgo permanens
Dei mater sit
et filia.

3 a. O laudanda fecunditas,
Quam sic amat virginitas,
Ut in te, mater et virgo,
Se osculentur mutuo
In osculo perpetuo.

3 b. Ab angelo salutata
Concepisti natum nata,
Ventris portasti thalamo,
Lactis potasti balsamo
Eius fruens eloquio.

4 a. Gaude, quae unicum
Tuum praedulcem filium
Frequentasti amplexibus
Amorem redolentibus.

4 b. Gaude, quae puero
In virginali gremio
Dulcem infigens oculum
Suave dedisti osculum.

5 a. Gaude, felici gaudio
Eodem gaudens filio,
Quem Deus, auctor omnium
Gaudet habere filium;
O dulce consortium!

5 b. Gaude, gaude plus quam multum,
Quae dilecti vides vultum
In singulari gloria
Perennique concordia
In caelesti patria.

6 a. Gaude, virgo amabilis,
Tota desiderabilis,
Rosa rosarum omnium
Et liliorum lilium
Vitisque odorifera
Dei plantata dextera,
Finis amaritudinis,
Principium dulcedinis,

6 b. Te angeli glorificant,
Te omnes sancti praedicant,
Te humiles, te virgines,
Te laudant omnes homines,
Te benedicunt aethera,
Te sol, luna et sidera,
Te aer, tellus, maria,
Te ignis, nix, ros, pluvia.

7 a. In omnem terram Mariae
virtus exivit,

7 b. Et in fines orbis terrae
laus emicuit.

8 a. Haec speciosa regio
Fulget in caeli solio
Veluti sol in nubilo,

8 b. Per quam lux mundo claruit,
Umbra mortis evanuit,
Diesque laeta prodiit.

9 a. Suavis et delicata
Virgo, Deo grata,
Sis nobis lux praevia
Ad gaudia,

9 b. Ut veri solis specie
Fruamur in die
Videndo lumen semper
In lumine.

10 a. Per te panis caeli
Vero Israeli
Datur; nos huius panis
Pinguedine
Reple, fons gratiae.

10 b. Tu es virga vivam
Nucem parturiens,
Urna decens aurea,
Verum manna
In te suscipiens.

11 a. Virgo mitis,
Iesum pro nobis ora,
Ut patientiae
Fructus ferre
Possimus regi gloriae.

11 b. Iesu dulcis,
Visita corda nostra,
Ut caritas ardens
Et iugiter
Lucens in nobis fulgeat.

12 a. Pacis prospera,
Unitatis foedera,
Spiritus modestiam,
Puram conscientiam,
Veram sapientiam
Atque fidei constantiam,

12 b. Da spei gaudia,
Honestatis opera,
Amoris suspiria
Sanctitatis munera,
Ut in te unum simus,
Sicut cum patre tu es unus.

13. Miserere
Nobis, fili Mariae,
Rex aeterne.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319. Cod. Wratislavien. I F 385. A. — Miss. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1407. Cod. Wratislavien. I F 341. B. — 5 b, 4 que fehlt AB. — 6 a, 1 Gaude, amabilis virgo AB. — 6 a, 2 Totaque AB. — 6 b, 3 Te humiles virgines B. — 6 b, 4 Te fehlt B. — 8 a, 1 speciosa virgo AB. — 10 b, 1 caeli fehlt B. — 12 a, 5 Sapientiam veram AB. — Die Str. 4—6 fast wörtliche Entlehnungen.

143. De beata Maria V.

1. Laudes Christo decantemus,
Matris eius qui gaudemus
Speciali gloria.

2 a. Dulce melos tangat caelos,
Nam benignam, dulci dignam
Canimus melodia.

2 b. Voci vita conformetur,
Ut sincere celebretur
Mariae memoria.

3 a. Salvatoris matrem laudent,
Qui per eam sibi gaudent
Vitae dari munera

3 b. Dicant omnes et dicant singuli:
Ave, salus totius populi,
Virgo et puerpera.

4 a. O quam felix, quam praeclara
Mater virgo, Deo cara,
Sacro plena flamine,

4 b. Agno sine macula
Lactis dedit pocula
Sub carnis velamine.

5 a. Haec est scala peccatorum,
Per quam Christus, rex caelorum,
Descendit ad infima,

5 b. Forma cuius singularis,
Per quam roris salutaris
Dona dantur intima.

6 a. Non sunt nova sacramenta
Nec de novo lex inventa,
Quae Mariam praedicat,

6 b. Aquas olim petra iecit,
Aquas Christus vinum fecit,
Dum Maria supplicat.

7 a. In scripturis sub figuris
Ista latent, sed iam patent,
Quod sit plena gratia.

7 b. Hostes cedunt, reges credunt,
Signa signis dum succedunt
Pro Mariae gloria.

8 a. Ista suos fortiores
Semper facit et victores,
Morbos sanat et languores,
Reprimit daemonia.

8 b. Dat captivis ubertatem
Vitae confert sanitatem
Ad antiquam dignitatem
Haec reduxit omnia.

9 a. Mundo signum triumphale,
Virgo mater, semper vale,
Quod in nobis est letale,
Serva tuo germine.

9 b. Medicina christiana,
Salva sanos, aegros sana,
Quod non valet vis humana,
Fit in tuo nomine.

10 a. Assistentes matris laudi,
Iesu pie, nos exaudi
Atque servos tuae matris
Post hanc vitam Dei patris
Transfer ad palatia

10 b. Et, quos matri vis servire,
Fac amara non sentire,
Sed, cum erit dies irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

Miss. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Rotomagen. 279. A. — Miss. ms. saec. 15. Cod. Insulen. 25. B. — Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. C. — Miss. ms. Trecense saec. 15. Cod. Trecen. 117. D. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F 343. E. — Missale Trecense imp. Parisiis 1497. F.

Vor 1, 1 setzt C ungehöriger Weise die Verse: Gaude felix et praeclara, Virgo mater Deo cara, Sacro plena flamine. — 2 a, 2 pulsat caelos E. — 2 a, 3 Credimus melodia E. — 3 a, 1 Servi nati matrem DF. — 5 a, 2 Qui per matrem sibi DF. — Strophe 4 a fehlt C. — 4 a, 2 Est Maria Christo cara DF. — 4 a, 3 Plena sancto spiritu DF. — Str. 4 b steht vor 1 in C; lautet in DF:

Parit plena numine
Mundantem a crimine
Sine viri coitu.

Str. 5 a und b lauten abweichend in A:

Haec est sola peccatorum
Spes, quam Christus rex caelorum,
Amat super omnia.

Fama cuius hoc ostendit,
Quae terrarum comprehendit
Quattuor confinia.

5 a, 3 infera E. — 5 b, 3 dantur plurima C; Dominantur intima E. — Str. 6 a—8 b fehlen BCDEF; Ordnung der Str. in A ist diese: 7 a, 8 a, 8 b, 6 a, 6 b, 7 b. — 8 a, 3 Deprimit E. — 9 a lautet in BCDEF:

Virgo, signum triumphale,
Mundi vera salus, vale
Inter signa [ligna E] nullum tale
Fronde, flore, germine.

9 b, 2 Serva sanos A. — 10 b, 1 Ut quos E. — 10 b, 2 Fac tormenta CDF. — Die Sequenz folgt unter Auslassung von 3 Strophen dem Schema des *Laudes crucis attollamus*, dem es sich travestieartig anschmiegt. Dieselbe steht unvollständig bei Weale II, 337; Milchsack I, 213 hat aus derselben drei Nummern gemacht mit den Anfängen: Laudes Christo decantemus (1, 1), Salvatoris matrem laudent (3 a, 1) und O quam felix et praeclara (4 a, 1). — In der Prager Hs. VII A 13, einem Graduale des 16. Jahrh., findet sich diese Sequenz folgendermaſsen bearbeitet:

1. Laudes Christo decantemus,
Virginis prolem laudemus
Speciali gloria.

2 a. Dulce melos pulset caelos,
Prolem divam dulci dignam
Credimus melodia;

2 b. Voci vita conformetur,
Ut sincere celebretur
Haec praesens memoria.

3 a. Salvatorem suum laudent,
Qui per ipsum sibi gaudent
Vitae dari munera,

3 b. Dicant omnes et dicant singuli:
Ave, salus totius populi,
Proles salutifera.

4 a. En, quam felix, quam praeclara
Mater Christi, Deo cara,
Sacro plena flamine,

4 b. Agno sine macula
Quae praebebat pocula
Sub carnis velamine.

5 a. Christe, salus peccatorum,
Qui de excelso caelorum
Venisti ad infima,

5 b. Dum sis splendor verae lucis,
Tormenta subire crucis
Dignatus es maxima.

6a. Ipse tuos fortiores
Servos fac atque victores
Aegros sanans ac languores
Pellens et daemonia.

6b. Da captivis libertatem,
Vitae confer novitatem,
Ad antiquam dignitatem
Sanans reduc omnia.

7a. Partus virginis Mariae
Virga signum speciale,
Inter ligna nullum tale
Fronde, flore, germine.

7b. Iesu, salus christiana,
Salva sanos, aegros, sana;
Quod non valet vis humana,
Fit in tuo nomine.

8a. Assistentes tuae laudi,
Iesu pie, nos exaudi
Atque servos Dei patris
Post hanc vitam cum beatis
Transfer ad palatia.

8b. Et, quos tibi vis servire,
Fac tormenta non sentire
Sed, cum dies erit irae,
Nobis confer et largire
Sempiterna gaudia.

144. De beata Maria V.

1a. Mater, ave,
Plena deliciis,
Quae nos a vae
Purgans ac vitiis
Obviasti.

1b. Rosa rubens,
Laesos laetificans,
Nulli nubens,
Mundum mirificans
Tu salvasti.

2a. Odor florum,
Lima nequitiae,
Via morum,
Limes iustitiae
Salutaris.

2b. Vas honoris,
Stella clementiae,
Dulcor oris,
Neuma laetitiae
Singularis.

3a. Verbum audis
Emissum caelitus,
In te claudis,
Quod patres primitus
Praedixerunt.

3b. Vivax apis,
Virtutum floribus
Vivas dapes
Ministras cordibus,
Quae te quaerunt.

4a. Venti fremunt,
Iam velum scinditur,
Fluctus premunt,
Rates relinquitur,
Assis, pia.

4b. Pelle fraudes,
Virgo, te petimus,
Sume laudes,
Quas tibi psallimus,
O Maria.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Lodinen. Add. 11 414. 1 a, 1 Ave mater, gegen den sonst beobachteten Reim. — 3b, 1 apes. — 3b, 5 Qui.

145. De beata Maria V.

1a. Mater sancta sanctae spei,
Sedes regis, templum Dei,
Sabaoth palatium,

1b. Tibi virtus obumbratur,
In te verbum humanatur,
Gratiae principium.

2a. Deus dixit, et illuxit,
Fiat lumen, quod indulsit
Miseris in tenebris;

2b. Inde dies es diei,
Dispar noctis speciei,
Splendor mundo celebris.

3 a. Tuus flore, germine
trinitati gratus,
Paradisi quattuor
rivis irrigatus,
Est de sancto spiritu
venter impraegnatus.

3 b. Paradiso insitum
tu es lignum vitae,
Tu mortem praecipitas
mortis pulsa lite,
Generosum generas
palmitem de vite.

4 a. Rubus flammis illibatus,
Virga, serpens, vir turbatus,
Calcei corrigia,

4 b. Ignis ardens nec consumens,
Tuus venter verbo tumens,
Tua sunt mysteria.

5 a. Virga, cuius de radice
Flos ascendit, plena nuce,
Oleo laetitiae,

5 b. Nardus, stacten, murra, mirtus
Est pudoris tui virtus,
Tuae sinus gratiae.

6 a. Manna verme non mutatur,
Sicca vellus irroratur
Gedeonis area,

6 b. Flore partum comitante
Florem narrat post et ante
Castitas virginea.

7 a. Tu triumphus in Elon,
ubi sol moratur,
Tu es, quo Leviathan
hamus inescatur,
Asini mandibula,
qua fons irrogatur.

7 b. Tu fons aquae vividus,
ubi lex rixatur,
Quo credens et sitiens
dulce recreatur,
A promissis perfidus
procul elongatur.

8 a. Urna Aaron, Iacob stella,
Penus panis, vini cella,
Domus pigmentaria,

8 b. Sanctum claudis, lumen fundis,
Iustos cibas, nectar mundis
Mira das fragrantia.

9 a. O quam simplex absque nota,
Quam fidelis et devota,
O quam plena gratia!

9 b. Salutatur, expavescit,
Fecundatur, acquiescit,
Fit mater de filia.

10 a. Peccatorum spes beata,
O vas balsamiticum,
Turris David clippeata,
Sceptrum Salomonicum,
Mensa regis adornata
Cibum ferens mysticum.

10 b. Arca Noe metuenti
Procellas diluvii,
Canopea fugienti
Lutumque servitii,
Esto de te praesumenti
Asylum refugii.

11 a. Alma parens, virgo pia,
Esto nobis vitae via,
Porta, portus, o Maria,

11 b. Ut cantemus ante thronum
Agni dantis omne bonum
Sempiternum Alleluia.

Grad. ms. Sedunense saec. 13. Cod. Valerian. s. n. A. — Lect. ms. Fredeslariense saec. 13. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 142. add. anni 1299. B. — Sequent. ms. Sedunense saec. 13/14. Cod. Valerian. s. n. C. — Sequent. ms. Sedunense saec. 14 et 15. Cod. Valerian. s. n. D.

3 b, 5 generans ACD. — 5 a, 1 über radice *spice* (!) B. — 5 a, 2 plena mice (!) B. — 6 a, 3 aera ABCD. — 6 b, 1 Flore Deum comitante B. — 6 b, 2 narrant B. — 11 a, 1 pia fehlt B. — „Sequentia de beata virgine in sabbato servanda.“ B.

146. De beata Maria V.

1 a. Nato psallat virginis,
De qua salus hominis
Orta est et gloria,

2 a. Matri Iesu singuli
Iubilemus cernui,
Nam solatur omnia.

3 a. Aegris opem tristibus
Daque culpas flentibus
Compromissa gaudia,
Tu forma egregia,
Mater es et filia
. . . . . .

4 a. Benedic benedicentes
Te, ut sint praeeligentes
Iesum super omnia;

5 a. Virgo pia, o Maria,
Stella maris appellaris
Operum per merita,

6 a. Reis facta mediatrix,
Criminum es tu fugatrix,
Laetitiae primordia
Per te cepit ecclesia.

7 a. Benedicta vitae vena,
Audi vota laude plena,
Apud Christum chorum istum
Clementer concilia,

1 b. Artes hostis cupidus
Debellare saepius
Cum summa victoria.

2 b. Rosa tu praefulgida,
Salve, gemma candida,
Meritis eximia.

3 b. Regum stirpe genita,
Nos benigne visita,
O beata femina,
Angelorum domina,
Per quam cuncta crimina
Lavit Christi gratia.

4 b. Sana, mater salvatoris,
Hydria caelestis roris,
Quod mens timet conscia.

5 b. Turris, hortus, vitis, portus,
Ignis fulgens et tus ardens,
Nos torquentes excita.

6 b. Euge, fluens fons aquarum,
Aquaeductus gratiarum,
Plena misericordia,
Mundum reples laetitia.

7 b. Flumen summae pietatis,
Servos suos atque tuos,
Cunctis data venia
Amen dicant omnia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 3 et fehlt. — 4 a, 1 te benedicentes. — 7 b nicht symmetrisch zu 7 a,

147. De beata Maria V.

1 a. O beata fecundata
Mater viri nescia,

2 a. Dignam dignis stipent hymnis
Et extollant laudibus,

3 a. Fide, voto, corde toto
Veneremur pariter

4 a. Fatigati, castigati,
Sustinentes plurima,

5 a. Ut hic torti nec distorti
Carnis flentes vitia
Mereamur angelorum
Optata consortia.

1 b. O devote salutata
Virgo plena gratia.

2 b. Qui salvari ac iuvari
Volunt eius precibus.

3 b. Hanc felicem genetricem
Domini sollemniter,

4 b. Infirmati, perturbati
Temptationum genera,

5 b. Per contemptum quoque mundi
Consequamur dulcia,
Ut electi et dilecti
Beatorum praemia.

6 a. Eia, mater praeelecta,
Regnans in caelestibus

6 b. Apud Christum vota nostra
Promovere precibus,

7 a. Ut post huius finem vitae
Laeti pro victoria

7 b. In perenni mereamur
Te laudare gloria.

Grad. ms. Montis s. Mariae saec. 14. in. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 502. — Melodie: O beata beatorum.

148. De beata Maria V.

1 a. O, caelestis hierarchia
Quam suavi melodia
Veneratur virginem!

1 b. Digne dignam te Mariam,
Vere dulcem, vere piam,
Nullam scimus similem.

2 a. In Aegypto quondam sita,
Miro flore redimita,
Nardus tua flagravit;

2 b. Rex e caeli palatio
Te sciens sine vitio
Laete te adoptavit.

3 a. Mens devota paruit,
Gabriel dum claruit
Arce de regali,

3 b. Sol sub nube latuit,
Iesus quando iacuit
Ventre virginali.

4 a. Parit mater virgo prolem,
Nova stella novum solem,
Lac propinans filio;

4 b. Auri decor, amethystus
Ens in sinu matris Christus,
Rosa iuncta lilio.

5 a. Canit coetus angelorum,
Vadit stella dux magorum
Ad domus notitiam;

5 b. Templo seni prosternatur,
In Iordane baptizatur
Dans maestis laetitiam.

6 a. Aqua vini dat saporem,
Sputa, clavi, fel dolorem
Flenti flente filio;

6 b. Flos reflorens astra scandit.
Rex reginae castra pandit,
Caeli iuncta solio.

7 a. Personemus nunc Mariae
Laudes omnes eximiae
Voce laeta,

7 b. Ut abstergat convicia
Et aspergat nos gratia
Rore plena.

8 a. Parce reis, mater regis,
Habe curam huius gregis,
Angelorum domina;

8 b. Nos emenda et commenda
Tuo nato ex te nato
Supernorum gloria.

Sequent. ms. Montis s. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. Helmst. 1340. — Melodie: In caelesti hierarchia.

149. De beata Maria V.

1 a. O Maria, virgo dia,
Trinitatis scrinium

1 b. O benigna, laude digna,
Castitatis lilium.

2 a. Stella maris appellaris,
Portus naufragantium,

2 b. Legis glosa, vernans rosa,
Sinus paenitentium.

3 a. Spes sanctorum, dux caecorum,
Claudorum vehiculus,

3 b. Odor floris, flos pudoris,
Sitientum rivulus.

4 a. Vas virtutum, cor imbutum,
Nobis laudem tribuas,

4 b. Vox raucorum, tu nostrorum
Raucitatem deleas,

5 a. Ut clangore et amore
Oris et mentaliter
Te laudare et amare
Possimus perenniter.

5 b. Noster chorus te sonorus
Spes collaudat unica,
Nam te pia laus, Maria,
Voce decet publica.

6 a. Virgo Iesse, nostram esse
Te fautricem petimus,

6 b. Ora patrem, nam te matrem
Nobis addit optimus.

7 a. Hora mortis da, ut fortis
Sit cordis contritio,

7 b. Ne damnemur, sed laetemur
In caeli palatio.

Grad. ms. Montis s. Martini anni. 1426 Cod. Capit. Scepusien. s. n. — Mel: O beata beatorum.

150. De beata Maria V.

1 a. Plebs fidelis iucundetur
Et Mariam veneretur,
Cuius digne celebretur
Celebris memoria.

1 b. Matrem Christi collaudemus,
Laudem dantes exsultemus,
Iubilantes imploremus
Eius patrocinia.

2 a. Mors per Evam subintravit,
Sed Maria mortem stravit
Et deletam reparavit
Salutem fidelibus.

2 b. Sui ventris dulcis fructus
Maris huius sedat luctus,
Abest dolor, abest luctus
Hoc fructu gustantibus.

3 a. Radix Iesse germinavit,
Virgo Deum generavit,
Non vir eam defloravit,
Cum prolem protulerit.

3 b. Fecundata sacro rore
Genetrix fit novo more,
Sine luctu et labore
Nata patrem peperit.

4 a. Vitrum sole penetratur
Et illaesum observatur,
Sic nec virgo violatur
Genetrix ex filio.

4 b. Obstupescit vas naturae
De confracto suo iure,
Factor omnis creaturae
Matris iacet gremio.

5 a. Arens virga profert florem,
Stella novum gignit solem,
Virgo mater parit prolem
Plena Dei gratia.

5 b. Haec est illa Dei cella,
Quae nos servet a procella,
Haec est clara Iacob stella,
Sed eclipsis nescia.

6 a. Virgo mater primae matris
Culpam lavit, nos ab atris
Claustris per hanc summi patris
Exemit clementia.

6 b. Terra caelo foederatur,
Vetus Adam detestatur,
Qui per novum sublimatur
In caelesti patria,

7 a. Casta mater salvatoris,
Spes reorum, vas pudoris,
Interesse caeli choris
Fac nos prece sedula.

7 b. Mundi salus, vitae via,
Nostri memor sis, Maria,
Nos ad caeli, mater pia,
Perduc habitacula.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11. 414.

151. De beata Maria V.

1 a. Post partum,
in partu et ante
mater viri nescia,

1 b. Electa,
dilecta dilecto,
ave, plena gratia.

2 a. Ave, decus orbis terrae,
Cui salutem mundi ferre
Mundi factor contulit,

2 b. Virga florens, sed non arens,
Virgo prolem vera parens
Quando mire protulit.

3 a. Flos convallis es, Maria,
Flos in spinis sine spina,
Terra carens vomere.

3 b. Tu flos caste candidatus,
Flos et fructus de te natus
Crucis rubens sanguine.

4 a. Flos spineto cruentatus,
Quando spinis coronatus
Mundum lavit crimine,

4 b. Ubi virgo virginali,
Casta casto, par aequali
Donaris custodiae.

5 a. Stabat, inquit, iuxta crucem
Mater Iesu dolens trucem
Mortem pati vitae ducem,
Stabat et discipulus.

5 b. Stabat ille, qui electus
Verae vitis palmes rectus
Quique magis est dilectus
Ac familiarius.

6 a. Mater, inquit, ecce, natus,
Natus tibi pro me datus,
Tui custos caelibatus,
Zela caelebs caelibem.

6 b. Mox ad illum: ecce, tua,
Tua mater, hanc procura,
Venerare fide pura
Servans virgo virginem.

7 a. Sancta virgo, felix mater,
Sancte fili, nobis pater,
Vestrae partem nos tutelae,
Vestrae sortem clientelae
Velitis efficere,

7 b. Vitae porta, nos conforta,
Stella maris, nos amaris
Mundi curis, heu, quam duris,
Umbra mortis, novae sortis
Virgo clemens, exime.

8 a. Nemo frustra te precatur,
Qui pro suis anxiatur
Meritis, Maria.

8 b. Tu peccato clausus hortus,
Sed peccanti patens portus,
Lapsis dux et via.

9 a. Virgo mater, nati nata,
Nobis assis exorata,
Ut, qui per nos nil habemus,
Unde iuste postulemus
Sempiterna gaudia,

9 b. Licet valde peccatores,
Tui tamen laudatores
Liberati cruciatu
Per te simus de reatu
Saltem digni venia.

10 a. Non nobis, domina,
non nobis, sed nomini tuo
da gloriam,
ut in nobis tua dona
munerentur,
tuque de nobis, qui Sanir
et Hermon, coroneris.

10 b. Electa ut sol,
sole clarior et unice
dilecta,
da nobis scire te, scire
nos, dilectum
ex dilecto amborumque
sanctam dilectionem.

11. Nos et nostra pia
defende maris stella.

Cod. Civit. Turicen. C 58. saec. 12. ex. A. — Miss. ms. Voraviense saec. 14. Cod Voravien. 332 (100). B. — Sequent. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14667. C. — 1 a, 2 ante partum C. — 2 a, 2 Qui salutem A. — 2 b, 1 Virgo B. — 4 a, 3 lavat B. — 4 b, 1 Qua tu virgo B. — Str. 5 ff. fehlen C. — 6 a. 1 Pater, falsche Initiale B. — 6 a, 4 Cela A. — 6 b, 1 Vox ad illum B. — 7 a, 1 Sacra B. — 8 b, 2 Quin B. — 8 b, 2 peccati B. — 8 b. 3 Lapsus A. — 9 a, 4 Unum iuste A. — 9 b, 4 sumus ABC. — 10 a 1 und 3 eine Silbe Überschufs. — 10 a, 4 bona B. — 11, 1 sq. fehlen A. — Vgl. Rom. Forsch. IV, 496 sq.

152. De beata Maria V.

1 a. Regali stirpe procreata,
Maria, virgo consecrata,
Christi mater,

1 b. Exora regem sempiternum,
Ut det nobis regnum supernum
Pius pater.

2 a. Tibi, mundi domina,
Decantent agmina
Laudes dignas voce clara,

2 b. Morbi gravis inflicta
Vulnera curando [iita],
Mater vitae, viam para.

3 a. In montis excelsi culmine
Quae resplendens lumine
Possides nati thronum,

3 b. Post mortem infirmi corporis
Fac perrennis miseris
Largiri vitae donum.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11 414.

153. De beata Maria V.

1 a. Salve, David stirps divina,
Christi mater et regina
Caelorum et hominum,

1 b. Salve signis praesignata,
Aaron virga nominata,
Parens lucis luminum.

2 a. Salve, stella, mater solis,
Tu fiscella Dei prolis,
Testamenti tabula,

2 b. Salve, vellus Gedeonis,
Madens tellus septem donis,
Manna caeli situla.

3 a. Salve, rosa, lilium,
Campi flos, quae filium
Dei das visibilem,

3 b. Salve, quae sacrarium
Es virtutum omnium,
Gignens ineffabilem.

4 a. Salve, botrus cuius notus
In Iudaea balsamus,

4 b. Salve, mitis Cypri vitis,
Aromati calamus.

5 a. Salve, ferax et novella,
Quae oliva diceris,

5 b. Salve, petra fundens mella
In curam pestiferis.

6 a. Salve, noctis lux, columna,
Ducens caecos ex aerumna
Et inferni turbine,

6 b. Salve, nubes, quae funestum
Vitiorum vincis aestum
Tuo sancto nomine.

7. Salve, per te ut salvemur
Et in caelo collocemur
Merito
Tuoque iuvamine.

Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I. F 365. A. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F 334. B. — 1 b, 3 Parens lumen luminum B. — 2 b, 2 Undans tellus A. — 2 b, 3 Mannae A. — 4 a, 1 cuius totus AB.

154. De beata Maria V.

1. Salve, genetrix sancta

2 a. Dei, immaculata,
Meritis inclita,
Virtute lucida.

2 b. Nos audi, mediatrix
Dei et hominum,
Virgo benedicta.

3 a. Alma mater,
Vox nostra,
Te cantet
Laude sonora.

3 b. Tu pro nobis,
Spes nostra,
Maria,
Deo supplica.

4 a. Maria, per te
Navigantibus
Portus et via
Panditur, gemma,
Caeli fulgidissima,

4 b. Miseria per
Te remittitur,
Datur gratia
Et mundo, ductrix
Errantum et semita.

5 a. Caecis dans viam
Mutisque loquelam
Tu nos mundans
Immundaque
Fugas daemonia.

5 b. Nos hinc libera
[Virgo] magnifica,
Peccatorum
Suffragatrix
Ad vitam laxa

6. Nostrae mortis vincula.

Orat. ms. Domus. Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 4 b 3 Datur et gratia. — 4 b, 4 Et fehlt. — 5 b, 1 hinc et.

155. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater gloriosa,
Virgo casta, speciosa,
Huius mundi tu lucerna,
Per quam claritas superna
Venit de caelestibus.

1 b. Stilla roris, flos odoris,
Fons dulcoris, vas decoris,
Sancta et immaculata,
Bona cuncta [per te data]
Profluunt fidelibus.

2 a. Per te mors interiit,
Per te vita rediit
Ex mundi miseria.

2 b. Foedos multo crimine
Munda tuo munere
Ducens ad caelestia.

3 a. Nobis praestetur venia
Per te simul et gratia,
Adesto iam viventibus
Unaque morientibus.

3 b. Ad nos, o pia, respice,
Precata nostra suscipe,
Peccataque praeterita
Nobis remitti flagita.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

156. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater, mater patris,
Soror sponsi, sponsa fratris,
Regis regum regia,

1 b. Haec est rubus inflammatus,
Quem non calcat calciatus
Sacra reverentia.

2 a. Sicca prius praeter morem
Virga frondens profert florem
Nucemque cum nucleo;

2 b. Incompluta manet tellus,
Dum complutum madet vellus
Gedeonis horreo.

3 a. Res miranda, virgo prolem,
Palmes vitem, stella solem,
Homo Deum baiulat,

3 b. Prodit sponsus nova sorte,
Nunc intactae claustrum portae
Prodiens diffibulat.

4 a. Ave, plena gratia,
Cella pigmentaria,
Cinnamomi calamus,

4 b. Mundi sanctuarium,
Caeli promptuarium,
Trinitatis thalamus.

5 a. Tu trium triclinium,
Trium domicilium,
Trium tabernaculum,

5 b. Patris consistorium,
Filii palatium,
Spiritus cenaculum.

6 a. Audi, mater veniae,
Proscriptos miseriae
Matris Evae filios,

6 b. Per peccatum venditos,
Ad gemendum genitos,
Poenae tributarios.

7 a. Audi reos, o benigna,
Dele thetam, thaü signa
Felici charactere,

7 b. Hoc sigillo Salomonis
Fac monetam Pharaonis
Nummos tuae dexterae.

8 a. Maris stella,
De procella
Nos ad portum protrahe,

8 b. Ex hoc mari fac levari,
Fac servari, fac locari
Nos in sinu Abrahae.

Cod. Civit. Turicen. C 58. saec. $^{12}/_{13}$. — Str. 8 a scheint eine Zeile zu fehlen. — Vgl. Roman. Forsch. IV 499.

157. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater salvatoris,
Flos odoris et honoris,
Honestatis annulus,

1 b. Tu signaculum pudoris,
Vas dulcoris et amoris,
Pietatis rivulus,

2 a. Tu lumen es luminum,
Tu decus es virginum
Et virga fructifera,

2 b. Tu salus es hominum,
Tu purgatrix criminum,
Arbor salutifera.

3 a. Tu fenestra pervia,
Stella maris praevia
Clarum reddens radium,

3 b. Tu cella vinaria,
Mater es et filia
Creatoris omnium.

4 a. Tu es vena veniae,
Tu fons pudicitiae,
Puritatis puteus,

4 b. Tu clavis iustitiae,
Navis continentiae
Et salutis clipeus.

5 a. Quae regina
virginum diceris,
Misereri
digneris miseris,
Ut erecti
de luto carceris
Tecum simus
in caeli curia.

5 b. Mediatrix
Dei et hominis,
Medicatrix
adesto criminis,
Ut soluti
fermento sceleris
Collaetemur
tecum in gloria.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

158. De beata Maria V.

1 a. Salve, mater veniae,
Venialis gratiae
Venam nobis aperi,

1 b. Salve, virgo virginum,
Placa lumen luminum,
Culpas nostras operi.

2 a. Dominarum domina,
Munda mundi crimina,
Emundatrix criminum,

2 b. Servos serva miseros,
Fac de servis liberos,
Liberatrix hominum.

3 a. Regis regum regia,
Rege nos per varia
Mundi vitae devia,

3 b. Inquietos corrige,
Mansuetos dirige,
Superbos humilia.

4 a. Iuva pusillanimes,
Tempera magnanimes,
Desolatos refove,

4 b. Haereses mortifica,
Fideles multiplica,
Infideles remove.

5 a. Rosa nostri generis,
Genus Adae veteris
Deo reconcilia,

5 b. Ut de domo carceris
Educti cum superis
Laetemur in gloria.

Orat. ms. Domus. Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Mel. jedenfalls: V e n i s a n c t e s p i r i t u s.

159. De beata Maria V.

1 a. Salve, virga stirpis Iesse,
Per quam fecit Deus esse
Salutis remedium,

1 b. Novo more salutata
Genuisti fecundata
Dei patris filium.

2 a. Sol de stella prodiit
Et in sole posuit
Suum tabernaculum,

2 b. Terra vermem edidit,
Per quem Ionas perdidit
Et deflet umbraculum.

3 a. Te prophetae praedixerunt,
Patriarchae signaverunt
In figuris dogmatum,

3 b. Apostoli crediderunt
Et gentibus effuderunt
Lumen evangelicum.

4 a. Cum summo gaudio
In hoc tripudio
Regis et filio

4 b. Precamur, domina,
Dele peccamina,
Solve discrimina.

5 a. Rubus ardere cernitur
Rubi virente folio,
Virgo mater efficitur
Salvo pudoris gremio.

5 b. Novus lucifer oritur
Mundi finito termino,
Novo risu perfruitur
Sara nascente filio.

6 a. Novi partus gaudium
Prodiens de virgine
Purgat Adae filium
Veteris caligine.

6 b. Terra pandit lilium
Nullo culta vomere,
Virgo parit filium
Sine viri semine.

7 a. Felix puerpera
Dei et hominis,
Audi suspiria
Gementis hominis
Et redde prospera.

7 b. Confer solacium,
Succurre miseris,
Quae spes fidelium
Et salus diceris,
Intende, propera.

8 a. Placa mare, maris stella,
Via caeli, regis cella,
Vitae cursum militarem
Duc ad portum salutarem
Spei certitudine.

8 b. Regem natum interpella,
Nos ut salvet a procella
Vitae servans puritatem,
Dans antiquam dignitatem
Fracto mundi turbine.

9 a. O Iesu dulcissime,
Sanctorum mitissime,
Piae matris unice,

9 b. Preces nostras hodie
Cum Maria virgine
Miseratus respice.

10 a. Fac in beato munere
Et te solum diligere
Et vitae sequi praemia
Tua ducente gratia,

10 b. Ut digni tuis laudibus
Iuncti choris caelestibus
Pace fruamur sedula
In saeculorum saecula.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319. Cod. Wratislavien. I F 385. A. — Miss. ms. Saganense anni 1422. Cod. Wratislavien. I F 343. B. — Grad. ms. Pelsinense anni 1491. Cod. Mus. Bohemici s. n. C. — Cant. ms. Vissegradense saec. 15 ex. Cod. Capit. Vissegraden. s. n. (V Cc η). D.

1 b, 3 Dei parens CD. — 2 b, 1 ediit A. — 2 b, 2 prodiit A. — 4 a und 4 b fehlen CD. — 6 a, 1 gaudio B. — 8 b, 5 Fato mundi termino C; Fracto mundi termino D. — 10 a, 2 Et fehlt AB. — Von dieser Sequenz steht eine s. g. „christliche Korrektur“ in Cod. Pragen. VII A 13. saec. 16. Hier lautet z. B. 4 a:

Fidem docuerunt,
Quam cognoverunt
Divo spiramine,

Quod desideratus
Singulis gentibus
Nasceretur virgine.

Ähnlich das Übrige, namentlich von Str. 7 a an.

160. De beata Maria V.

1. Salve, virgo gloriosa,
Arbor vitae pretiosa
Ave, plena gratia.

2 a. Virga Iesse florem dedit
Et flos fructum, poena redit
In Iudaeum, qui non credit
Peperisse virginem.

2 b. Eat rubor in Iudaeum,
Infernali morte reum,
Qui non credit esse Deum
Pariter et hominem.

3 a. Prodit partus, quem natura
Stupet contra carnis iura
Prodiisse sub figura
Et Dei et hominis.

3 b. Parit sine viri cura
Genitorem nata, pura
Virgo, cuius genitura
Lavit labem criminis.

4 a. Insuetum est audiri,
Quod sit mater expers viri,
De hac sola debet sciri,
Quod virgo pepererit.

4 b. O quam miser, quam deceptus
Infidelis et ineptus,
Ab errore interceptus,
Qui sic non crediderit.

5 a. Hunc debemus Deum scire,
Qui dignatus est vestire
Vestem servi, ne servire
Posset homo serviens.

5 b. Eva pomi morsum ausa
Principalis fuit causa,
Quare nobis fuit clausa
Porta vitam largiens.

6 a. Partus ventris virginalis,
Partus sanctus, immortalis,
Ex natura nullus talis
Conceptus in virgine.

6 b. Portam vitae reseravit
Et, quos Eva condemnavit
Fructu, luctu relaxavit
Ab aeterno crimine.

7 a. Ergo, virgo, mater Dei,
Fundamentum nostrae spei,
Quamvis simus omnes rei,
Te rogamus pariter,

7 b. Ut, cum iudex dicit *Ite*
Malis bonis et *Venite*,
Perpetuae simus vitae
Participes iugiter.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Iedenfalls Sequenz.

161. De beata Maria V.

1 a. Stella solem pariens,
Stella casum nesciens,
Mater plena gratiae,

1 b. Stellis stella celsior
Stellisque splendidior
Splendor est ecclesiae.

2 a. Stella, cuius radius
Obscurari nescius
In solis praesentia,

2 b. Quae tanto fit clarior,
Quanto soli propior,
Et fulget in gloria.

3 a. Stella, virgo virginum,
Sol est pater luminum
Virgine progrediens.

3 b. Hic est flos, quem praebuit
Virgula, quae floruit
De Iesse progrediens.

4 a. Huic mirabiliter
Flori porta iugiter
Obserata patuit;

4 b. Sic Dei iustitiam,
Sic et sapientiam
Operari decuit.

5 a. Sic rubus incenditur,
Sic vellus compluitur
Rore misso caelitus,

5 b. Sic est facta madida
Terra prius arida
Nutu sancti spiritus.

6 a. Sic illustrat radio
Sol vitrum, sed vitio
Vitrum caret penitus,

6 b. Sic venit in virginem,
Ut Deum et hominem
Uniret paraclitus.

7 a. Nos obtentu virginis
A reatu criminis
Christi mundet gratia,

7 b. Qui nobis det pectoris
Pacem atque temporis
Et aeterna praemia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 1 a, 1 Vale solem. — 1 a, 3 Maria plena. — 3 a, 3 Ex virgine. — 7 b, 3 Et fehlt. — Jedenfalls Sequenz.

162. De beata Maria V.

1. Tibi dicant omnes Ave,
Quia mundum tollis a vae,
Mutasti vocem flentium.

2 a. Sonet vox iucunditatis,
Quia tempus est aestatis,
Iam enim hiems transiit;

2 b. Nam vineae floruerunt,
Flores odorem dederunt,
Iam enim imber abiit.

3 a. Novitate partus casti,
Virgo, cuncta renovasti,
Dum paris clauso cardine.

3 b. Stupet usus et natura,
Quod tu paris, virgo pura,
Sine viri semine.

4 a. Partus tuus singularis,
Purum pura pure paris,
Genitorem filia,

4 b. Ave, virga gignens florem
Cuius mirantur odorem
Caelum, tellus, maria.

5 a. *Audi, mater pietatis,*
Nos gementes pro peccatis
Et a malis nos tuere,

5 b. *Ne damnemur cum impiis*
In aeternis suppliciis,
Peccatorum miserere.

Cgm. Monacen. (ol. Tegurin). 716. saec. 15.

163. De beata Maria V.

1 a. Vale, aula virginalis,
Cum maiestas hic regalis
Dignatur descendere;

1 b. Opus hoc est trinitatis,
Solum cunctis quod beatis
Dat beate vivere.

2 a. Aula mater est intacta,
Sicut templum fabrefacta,
Quo non sonat malleus;

2 b. Ibi sceptrum, rex, corona,
Vitae panis est annona
Liquorque nectareus.

3 a. Terra namque dedit fructum,
Cor confirmat, solvit luctum,
Reddit fructus gaudium;

3 b. Hoc figurat Ruth in messe,
Caleph botrus, virga Iesse
Nucisque mysterium.

4 a. A fructu tritici,
vini et olei
Multiplicata est
iam virtus fidei

4 b. Regis praedivitis
haec sunt donaria,
Qui nostrae usus est
carnis substantia.

5 a. Ipse granum, ipse panis,
Botrus et nux non inanis,
Ipse solus omnia,

5 b. Quo referta fuit cella,
Dei mater, maris stella,
Mater plena gratia.

6 a. Hanc flos ornat castitatis,
Angelorum puritatis
Cognata virginitas,

6 b. In qua res est gratiosa,
Mitis, dulcis et iocosa,
Tam typus quam veritas.

7 a. Rubus non uritur,
Vellus compluitur,
Sol retroflectitur,
Et pecus loquitur,
Anus fit gravida.

7 b. Fons novus oritur,
Fanum destruitur,
De petra bibitur;
Propheta pascitur,
Mitescit rabida.

8 a. Fornax cedit
Et non laedit,
Sed oboedit
His, quos credit
Mori de incendio.

8 b. Manna datur,
Hinc creatur
Et formatur,
Quo signatur
Haec nova creatio.

9 a. Adae plasmatio,
Arcae constructio,
Iordanis siccitas,

9 b. Fiscellae ratio
. . . .
Signant te novitas.

10 a. Sal respergit fontem totum
Et camelis fessis potum
Dat Rebeccae hydria,

11 a. Aeri serpens similatur,
Sputo lutum temperatur,
Cherubimque obumbratur
Propitiatorium.

12 a. Sol sub nube non densatur,
Horto clauso fons signatur,
Sine manu mons secatur,
Stella solem praeconatur,
Sol de stella rutilat.

13 a. Ad honorem tuum iure
Famulantur hae scripturae,
Sit de nobis tibi cura,
Pia virgo, mater pura,
Ut simus in gloria.

10 b. De conceptu Sara ridet,
Se calcari serpens videt,
Canit tympanistria.

11 b. Muliere vir ambitur,
Porta clausa pertransitur,
Gigas currit, via scitur,
Floret vallis lilium.

12 b. Stat praesaepe foeno plenum,
Christi corpus tam serenum
Nobis cibum dat amoenum
. . . .
Sic cor ad hoc vigilat.

13 b. Ubi nec cras nec hesternum,
Ubi semper hodiernum,
Ubi salus, ubi vita,
Ubi pax est infinita,
Ubi Deus omnia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — 10 a, 1 respargit. — 11 a, 1 simulatur. — 13 b, 4 est sempiterna.

164. De beata Maria V.

1 a. Vale, pura pariens
Virgo, nata fertilis,
Per quam nobis oriens
Ex alto visibilis

2 a. Porta Dei,
Mater spei,
Maria,
Clausus hortus,
Vitae portus
Et via.

3 a. O serena
Vitae vena,
Sancti plena
Spiritus,

4 a. Vale, mater Domini,
Per quam salus homini
Reformatur perdita,

5 a. O Maria,
O lilium
Convallium,
Flos virginum,

1 b. Exstitit, esuriens,
Palpans et palpabilis,
Pro peccatis moriens,
Dulcis et amabilis.

2 b. Cella lucis,
Summi ducis
Et mater et filia,
Tuo nato
Nobis dato
Pie nos concilia.

3 b. Sume vota,
Quae cum nota
Mente tota
Promimus.

4 b. Ad nos manum porrige
Et nos salvans corrige,
Mundo salus edita.

5 b. Stirps regia,
Spes omnium
Fidelium,
Lux luminum.

6 a. O . . . . filia,
Evae matri contraria,
Vale, virgo de gratia,

6 b. Nos redimens per filium,
Vale, ave, remedium
Nos eximens miseria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 374. — 1 a, 3 quem. — 5 a, 1 O clemens Maria.

165. De beata Maria V.

1 a. Vale, sancta peccatorum
Maria refugium,

1 b. O devote recolenda,
Flentium solacium.

2 a. Te laudare nos dignare
Cum devoto carmine,

2 b. Emundemur, liberemur
Sic ab omni crimine.

3 a. Rubens rosa tu formosa,
Pia dux errantium,

3 b. Medicina et regina,
Salus paenitentium.

4 a. Advocata reis data,
Tu pro nobis rogita,

4 b. Nubes clara, Deo cara,
Nos solando visita.

5 a. Cinnamomo vel amomo
Nomen habens dulcius,
In scripturis sub figuris
Figuraris crebrius.

5 b. Alma mater orphanorum,
Votis nostris adnue,
Conflictus daemoniorum
Ne nos tangant, erue.

6 a. Nulli gravis, o suavis,
Tuos servos erige,

6 b. Tu adiutrix, vitae tutrix,
Nobis manum porrige.

7 a. Vale stella, Dei cella,
Rutilans in gloria,

7 b. Te precamur, ut ducamur
Ad sanctorum gaudia.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Melodie jedenfalls: O beata beatorum.

166. De beata Maria V.

1 a. Vale, stirps Davidica
Et mater deifica,
Potens mundi imperatrix,

1 b. Plena Dei gratia,
Vale, virgo regia,
Adflictorum miseratrix.

2 a. Vale, decens et decora,
Lucis clarior aurora,
Vera lux es omnium.

2 b. Lucens pulchre plus quam luna,
Quam fideles petunt una,
O lumen fidelium.

3 a. Vale, sancta, quae de portis
Nos exaltas dirae mortis,
Labe pura,
Spes futura
Vere paenitentium.

3 b. Vale, semper veneranda
Et a cunctis invocanda
Gubernatrix
Et salvatrix
Ad te confluentium.

4 a. Vale, mater admiranda
Et prae cunctis praedicanda
Genetrix veri luminis.

4 b. Radix David generosa,
Tota semper gloriosa
Templumque sancti flaminis.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

167. De beata Maria V.

1 a. Vale, virgo, vas pudoris,
Salve, mater creatoris,
Ave, doctrix et lux moris,
Gaude, lilium candoris,
Vale, mater Maria.

1 b. Vale, navis castitatis,
Remum gestans caritatis
Et in arca castitatis
Spem futurae libertatis
Praebes et solacia.

2 a. Ave, virgo dives Deo,
Vale, portus patens reo,
Salve, lux et gratia,

2 b. Gaude, mundi reparatrix,
Ave, caeli imperatrix,
Nostra pura gaudia.

3 a. Vale, vitae condimentum
Evae leniens lamentum,
Vetus per te testamentum
Ruit, surgit sacramentum
Re signans caelestia.

3 b. Vale, boni fundamentum,
Castitatis ornamentum,
Caritatis dans unguentum,
Suavitatis in augmentum
Temperans carnalia.

4 a. Vale, Deum gestans alis,
Ave, malas iungens malis
Et labellis labia,

4 b. Salve, Marthae functa cura,
Gaude, maesta circa plura
Exhibens obsequia.

5 a. Vale, salus, decus, vita,
Astris poli redimita,
Illuc tecum nos invita,
Ubi gaudes infinita
Pace et laetitia.

5 b. Ave, lapsi reparatrix,
Errabundi revocatrix,
Caeli, terrae mediatrix,
Utriusque solidatrix
Christo nos concilia.

6 a. Ave, dulcis Sunamitis,
Pulchra, casta, simplex, mitis,
Membra fovens regia,

6 b. Ave, fida poli scala,
Super astra tecum cala
In superna curia.

7 a. Ave, clara maris stella,
Quae, cum hostis movet bella,
Es asylum, arcus, cella,
Ne involvat nos procella
Per haec mundi maria.

7 b. Ave, nostri vis vigoris,
Finis longaevi doloris,
Salus es summi valoris,
Honor caeli, lux splendoris,
Tibi laus et gloria.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

168. De beata Maria V.

1 a. Vale, virgo virginum,
Salve, lumen luminum,
Ave, plena gratia.

2 a. Vale, salus hominum,
Portans, regem, Dominum,
Ave, stella praevia.

2 b. Vale, nostrum gaudium,
Gaude, spes credentium,
Peccatorum venia.

3 a. Vale, vena veniae,
Ave, mater gratiae,
Hostium victoria.

3 b. Vale, porta gloriae,
Ros misericordiae,
Ave, fraudis nescia.

4 a. Vale, mundi gloria,
Sanctorum laetitia,
Ave, per quam gaudium
Speramus caelestium.

4 b. Vale, virgo celebris,
Lux lucens in tenebris,
Ave, lumen cordium,
Salve, candens lilium.

5 a. Vale, pia.
Gaude, via.

5 b. Salve, vitis,
Ave, mitis.

6 a. Vale, parens
Labe carens,
Ave, suavissima,

6 b. Vale, rosa
Speciosa,
Ave, splendidissima.

7 a. Salve, virgo singularis,
Gaude, stella clara maris,
Vale, carens simili.

7 b. Vale, mater, lux solaris,
Ave, quae tantos solaris
Hoc in mundo flebili.

8 a. Vale, decus angelorum,
Vale, salus miserorum.

8 b. Vale, nostrum refugium,
Plena bonorum omnium.

9 a. Vale, decus castitatis,
Salve, mater pietatis,
Gaude, munda
Et fecunda,
Vale, lux caelestium.

9 b. Vale, templum puritatis,
Ave, scala claritatis,
Ora natum,
Ut optatum
Nobis donet praemium.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375.

169. De beata Maria V.

1 a. Virga Iesse generosa,
Dulcis fructus onerosa,
Salve, mater inclita.

1 b. Christum Deum, gloriosa,
Genuisti gaudiosa,
Super omnes edita.

2 a. Solem sidus es prolata,
Tamen incontaminata
In aeternum permanes,

2 b. Per te terra illustrata,
Per te cuncta restaurata,
Et omnia contines.

3 a. Salve, mater regum regis,
Conditoris nostrae legis,
Carentis initio,

3 b. Cuncta bona quippe regis
Criminum et mala tegis,
Es nobis ablutio.

4 a. Pulchra rosa sine spina,
Quam non urit sol, pruina,
Nil habens miseriae,

4 b. Mitis simplexque regina
Velut more columbina,
Fons misericordiae.

5 a. Tu es porta circumdata
Margaritis et ornata,
Quam propheta asserit

5 b. Te vidisse, radiata,
In domo Dei fundata,
Qua nullus transierit.

6 a. Pura luna, soli aequa,
Purior aurea theca,
Qua Christus emittitur,

6 b. In te non sunt vota maecha,
Tabes nec libido caeca,
Cor tuum nec vertitur.

7 a. Cuncta autem haec mundana
Mala sunt et nimis vana
Et plena illecebris;

7 b. Unde te precamur, sana
Plagas nostras et insana,
Dei duc cum angelis,

8. Ut ibi semper laudemus
Hymnis te angelicis.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n.

170. De beata Maria V.

1 a. Virgo peramabilis,
Mater admirabilis,
Maria puerpera,

1 b. Splendor ineffabilis,
Flos incomparabilis,
Virga salutifera.

2 a. Radix innocentiae,
Sedes sapientiae,
Felix thesauraria,

2 b. Tu es vitae pabulum,
Pudoris signaculum,
Concha smaragdinea.

3 a. Diadema fulgidum,
Sidus semper rutilum,
Peccatorum venia,

3 b. Pauperis umbraculum,
Foederis oraculum,
Sanctorum laetitia.

4 a. Vale, vas clementiae,
Portus indulgentiae,
Pia gestans viscera,

4 b. O culpae remedium,
Dulce refrigerium,
Regnans super aethera.

5 a. Vale, lumen luminum,
Purgatrix peccaminum,
Christo nos confoedera.

5 b. Vale, quae peccantium
Misereris omnium,
Nos iuvare propera.

Orat. ms. Domus Novae Lucis anni 1477. Cod. Ultraiectin. Scriptt. Eccl. 375. — Vor 1 a, 1 geht die überzählige Zeile vorher Vale peroptabilis. Mel. jedenfalls Veni sancte spiritus.

171. De beata Maria V.

1. Virgulae florentis laudes
Aaron, Iesse, Moysi,

2 a. Quae lavit Evae fraudes
In fonte paradisi
Sine hypocrisi,
Turba, laudes.

2 b. Mors et vita duello
Virginali flagello,
Cum Mariae fructus
Tersit luctus.

3 a. O sancta Maria,
Sis nobis vitae via,
Excessum mundi labentis
Affectu dele
devotae mentis.

3 b. Christianos gestes
Extra morbos et pestes.
Surrexit virga ferrea
Iudae confringens
corda saxea.

4 a. Credendum est plus prophetis
Legisque secretis
Quam Iudaeorum
nugis deletis.

4 b. Scimus botrum virgae siccae
Fructum protulisse,
Veram carnem
Christum sumpsisse

5. Ex Maria.

Miss. Ambianense imp. Parisiis 1487. A. — Miss. Ambianense imp. Rotomagi 1506. B. — Melodie: Victimae paschali laudes.

171 a. De beata Maria V.

1 a. Ad supernae gremium
Matris gratiarum
Sonet vox fidelium
Per orbem terrarum
Caeleste praeconium.

1 b. Verbi patris atrium,
Vas provisum, carum
Neumatis palatium,
Trium personarum
Nobile triclinium.

Sequent. ms. Sedunense saec. 13/14. Cod. Sedunen. s. n. A. — Sequent. ms. Sedunense saec. 15/16. Cod. Sedunen. s. n. B. — Den vollen Text siehe unter den Reimgebeten Anal. XV, 13 b; Varianten zu dem dortigen Texte: 5, 5 Sinus AB. — 7, 5 Cherubino collegium AB. — 8, 3 vitae praevium AB. — 10, 2 Regnas AB. — 10, 4 Stas AB. — 11, 1 Caeli terrae. AB. — 12, 2 Virgo invitata AB.

171b. De beata Maria V.

1 a. De spineto nata rosa,
Arbor vitae speciosa,
Ave, plena gratia!

1 b. Nos ad lucem verae lucis
Levas, trahis et perducis
Ducens via regia.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414. A. — Orat ms. Campense anni 1462. Cod. Darmstadien. 521. (unter einer Folge von Sequenzen) B. — Den vollen Text siehe unter den Reimgebeten Anal. XXXII, 79. — Lesarten: 1 b, 2 Levans A. — 2, 5 Sed et ipsis angelorum A; Sed et lucis angelorum B. — 2, 6 Praeminens AB. — 4, 2 demonstrata AB. — 4, 4 et languores AB. — 4, 5 Mentem munda forma AB. — 5, 2 purgatos AB. — 5, 3 ad gaudia AB.

III.

DE SANCTIS.

---

172. De Omnibus Sanctis.

1. Immense omnium
rex angelorum
et hominum, sedulo
cui oboedit
orbis machina,

2 a. Famulatur aetheris
terrarumque
latitudo liquidi
necnon maris
cuncta fluenta,

2 b. Quem oportet gloria,
laus et honor,
salus, vita, veritas;
qui diceris
pacis speculum,

3 a. Clementi aure supplicum
tuorum
carminula
inter superna
modulamina
concipe,
licet non sint
digni servuli.

3 b. Concurrat universitas
gentium
collaudando
immensitatem
patris aeterni,
geniti
spiritusque
sancti gloriam.

4 a. Novenos qui caelo
choros mire
ordinavit
obsequio,
discretos
caritatis honores
pulchre tenentes.

4 b. Haec festa omnium
sanctorum sunt,
sapientia
quos a primo
splendore
mundi fecit usque in
finem saeculi.

5 a. Hinc celsorum
patrum colenda
est nobis probitas,
patriarchae vocati,
gloriosi qui patres
perditi
generis humani.

5 b. Prophetalis
ordo, futura
praedicens, virginis
de impolluto templo
Christum olim nascendum
spiritu
repletus canebat.

6 a. Lumina
vos bis sena
mundi, amici Christi,
apostoli,
fundamen ecclesiarum,
nostrae vitae favete.

6 b. Martyrum
purpuratae
phalanges, nos beati
nunc cruoris
flumine a criminibus
apud Deum solvite.

7 a. O doctores strenui
et confessores pii,
invisibili
hosti rebelles,
viles iuvate.

7 b. Mater virgo Maria,
turba virginum sancta,
miseris assis
clemens et nostri
pia adiutrix.

8 a. O sancti spiritus,
interdum angeli
vocati,
indignos precibus
vestris semper firmate.

8 b. Te, Christe, poscimus,
redemptor optime,
ne sinas
creaturam perire,
sed da tecum regnare

9. Et cunctos sanctos
pro propriis
fac orantes.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed. V 9. — 6 a, 1 Numina. — 7 a, 4 repelles. — Melodie: Symphonia.

173. De Omnibus Sanctis.

1. Sancta Dei mater,
virgo benigna, Maria,

2 a. Tu nos miseros adiuva
atque Christi gratiam
nobis impetra,

2 b. Quae nos tua per merita
devitare faciat
cuncta noxia.

3 a. Beate Michael,
tu pro nobis
maiestatem
superni regis invoca,

3 b. Et cuncti caelibes
simul cives,
commendate
nos Deo prece sedula.

4 a. O Iohannes,
Christi baptista,
tu Deum pro nobis
iugiter ora.

4 b. Et tu, Petre
sancte, dignare
cuncta disrumpere
nostra vincula.

5 a. Omnes Domini
apostoli,
solvite
nostra delicta,

5 b. Quia vobis est
a Domino
potestas
ad hoc concessa.

6 a. Vos, Christi martyres,
qui vestra
tradidistis corpora

6 b. Pro Christi nomine
libenter
multa ad supplicia;

7 a. Vos quoque confessores
Christi et sacerdotes,
virginumque sanctarum
turma praeclara,

7 b. Precamini pro nobis,
ne nos extollat hostis
neque vana gloria
nec laus humana.

8 a. Omnes sancti Dei,
verba pro nobis ferte pia,

8 b. Rogate Dominum,
ut nostra deleat crimina

9 a. Et nos evadere
faciat
inimici scandala
et inferni claustra,

9 b. Nos quoque per suam
collocet
pietatem requie
saltem in aliqua,

10 a. Ut libeat nos dicere:
honor, laus et gloria

10 b. Sancta tibi sit trinitas
per aeterna saecula.

11. Amen dicant simul cuncta,
amen, redempta.

Grad. ms. Mutinense saec. 12. Cod. Capit. Mutinen. O I N 16 A. — Cant. ms. Tegurinum saec. 15. Cgm. Monacen. 716. B. — Missale Abulense imp. Salmanticae 1510. C. — Miss. ms. Murense anni 1532. Cod. Aaraugien. M K 5. D.

1, 1 sq. Sancta virgo Dei mater C. — Str. 2a fehlt B. — 2a, 2 mater Christi gratiam C. — 2b, 2 facias B. — 4a, 3 pro nobis indignis BCD. — 4b, 1 sq. sancte Petre C. — 4b, 4 delicta nostra C. — Str. 5a fehlt C. — 5a, 1 Omnes sancti (Domini fehlt) B. — 6a, 1 Nunc Christi BD; Nunc sancti C. — 6b, 3 ad multa BC. — 7a, 3 sacrarum B. — 7a, 4 turba BC. — 7b, 2 seducat hostis CD. — Str. 8a fehlt B. — 9a, 1 Ut nos B. — 9b, 1 Nos atque BCD. — 10a, 1 Ut iubeat C. — 10b, 1 sit tibi CD. — 11, 2 fehlt D; die ganze Clausel fehlt C; lautet in B: Tu nos salvans semper conserva.

174. De Omnibus Sanctis.

1. Sancta ac digna
die sacrata
sunt recolenda
mysteria.

2 a. Propterea
Christo debita
concine, cohors, cantica,

2 b. Quae dicata
Dei vivida
sanctis sunt iam memoria.

3 a. Nostris posita persistat
Maria sensibus, domina
pia mundi et lucerna,

3 b. Quae intacta virgo celsa
creatorem intra gestavit
sua Dominum viscera,

4 a. Vitae atria
per lignum perdita
vetitum et ipsa
reddit prole sua.

4 b. Ipse agmina
restaurat supera,
effectus nam nostra
Christus factura.

5 a. Pars laetare dena,
ultima creata,
lymphis sanctis perfusa,
tibi quia dantur aethera,

5 b. Ubi lux immensa
et virtus beata,
ubi est corona
sanctis decenter praeparata.

6 a. O quam lucida
iustorum loca
et felicia regna
illis promissa!

6 b. Ibi organa
sonant inclita,
cantica praedulcia
necnon et nova.

7 a. Ibi est angelica
et archangelica,
principum eximia
et caterva infinita,

7 b. Virtutum cohors pulchra,
potestatum praediva,
dominatio magna
atque thronorum munia.

8 a. Cherubim multa
ac flaminum sacra
et ignea
Seraphim dantia
laudum munia,

8 b. Michael fortissima
et Gabriel summa
pneumata,
Raphael praestantia
ac dignissima.

9 a. Haec nos militia
cum prophetis pretiosa
cum cuncta martyrum nitida
et virginum turma,

9 b. Apostolorum gloriosa,
patriarcharum clara,
confessorum vera
et contio benigna,

10. Per haec saecla
acquirere aeterna
protegant veneranda
dando nobis iuvamina.

Trop. ms. Dertusense saec. 13. in. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — 3 b, 3 Domini. — 5 b, 4 sanctorum. — 6 a, 2 sunt loca. — 8 a, 2 ac flamma flaminum. — Der Parrallelismus erstreckt sich namentlich in der zweiten Hälfte der Prose mehr auf die Satzglieder als auf die Silbenzahl.

175. De Omnibus Sanctis.

1 a. Cordis voto commendemus
Factoris praeconia,

1 b. Nisu toto decantemus
Sanctorum sollemnia.

2 a. Quos vocavit et beavit
Dans finale bravium,

2 b. Quo fruuntur et conduntur
Intra caeli gaudium,

3 a. Quod beati, honorati
Nostris nunc in laudibus,

3 b. Consecuti sunt et tuti
A maligni fraudibus.

4 a. Ubi status intellectus,
Finis appetituum,

4 b. Ubi ratus est perfectus
Abest causa fletuum.

5 a. Iam Assuerus ille verus
Cenam dat principibus,
Angelorum beatorum
Debriatis potibus.

5 b. Iam devicto Philistaeo,
Ursu et leunculo,
Coronatur, palma datur
David regni solio.

6 a. O nunc, Christi confessores,
Arcanorum conscii,

6 b. Vestri nos imitatores
Et caelorum praemii

7 a. Procurate viva prece,
Ut post transitoria

7 b. Iubilemus una voce
In perenni gloria.

Grad. ms. Gracense saec. 14. Cod. Gracen. 36. — Mel.: O beata beatorum.

176. De Omnibus Sanctis.

1 a. Reboat angelica
Laude domus caelica,
Alleluia.

1 b. Laus est haec trifaria
Voce novenalia,
Alleluia.

2 a Per caelorum spatia
Resonant palatia,
Alleluia,

2 b. „Sanctus“ ter clamantia
Pari consonantia,
Alleluia.

3 a. Vatum per praeconia
Dulcis est harmonia,
Alleluia.

3 b. In fide catholica
Laus est apostolica,
Alleluia.

4 a. Quam sequuntur fortia
Martyrum consortia,
Alleluia,

4 b. Quorum transitoria
Mors est, non victoria,
Alleluia.

5 a. Confessorum lilia
Concinunt similia,
Alleluia.

5 b. Virginum munditia
Carnis vincens vitia,
Alleluia,

6 a. Matrum continentia,
Pudor et prudentia,
Alleluia,

6 b. Laudum canunt neumata
Digna per celeumata,
Alleluia.

7 a. Ipsa lux aetherea
Cohorsque siderea,
Alleluia,

7 b. Solis, lunae lumina,
Aer, tellus, flumina,
Alleluia,

8 a. Temporum volumina,
Montium cacumina,
Alleluia,

8 b. Ventorumque flamina,
Frondes, herbae, gramina,
Alleluia,

9 a. Ex aquis reptilia,
Pisces, volatilia,
Alleluia,

9 b. Haec simul et alia
Deo dant magnalia
Alleluia.

10 a. Et nos in ecclesia
Melodum carthesia,
Alleluia,

10 b. Profundamus sapida
Mente de non vapida,
Alleluia.

11 a. Dulcis laus Alleluia,
Sed laus ista aevia,
Alleluia,

11 b. Eius, qui potentia
Manet in essentia,
Alleluia.

12 a. Eïa et Eïa,
Sonent Euterpeïa,
Alleluia,

12 b. Voce licet varia
Vota fiant paria,
Alleluia.

Miss. ms. Glogavien. saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 355. A. — Miss. ms. S. Mariae Magdalenae Wratislavien. saec. 14. Cod. Civit. Wratislavien. M. 1121. B. — Miss. ms. Cracovien. saec. 15 in. Cod. Capit. Cracovien. 8. C. — 1 b, 1 triumpharia C. — 1 b, 2 Voce non alia C. — Str. 2 b fehlt C. — 2 b, 1 clamantia fehlt A. — 2 b, 2 Patri A. — Str. 5 b fehlt C. — 6 a, 1 Patrum C. — 6 b, 2 celeamata AB. — 10 a, 1 Ut nos C. — 10 a, 2 cartachesia A; cartheria B. — 11 a, 2 laus istacina B. — 12 a, 2 Sonet Euterpe A; Sonent en corporea C. — Die Sequenz ist in C für das Fest der ss. Innocentes verwendet; inhaltlich lehnt sich dieselbe an das Canticum trium puerorum an.

177. De Omnibus Sanctis.

1 a. Sit laus summae trinitati,
Cuius vultu delectati
Vivunt cives caelici.

1 b. Laus devota sit Mariae,
Quae profudit lac Messiae,
Verbi mater deici.

2 a. Maiestati laus divinae,
Quam collaudant sine fine
Spiritus angelici.

2 b. Patriarchae venerentur,
Et prophetae collaudentur,
Vates honorifici.

3 a. Laus sit nato summi regis,
Cuius gerant curam gregis
Coetus apostolici.

3 b. Christo laudes tribuantur,
Cuius vultu satiantur
Martyres almifici.

4 a. Sit laus turmae confessorum,
Per quos gaudet plebs iustorum
Pane vitae refici.

4 b. Laus sit choro virginali,
Qui contactu noxiali
Carnis sprevit infici.

5. Praestet nobis rex sanctorum,
Ut concives electorum
Mereamur effici.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11414.

178. De Omnibus Sanctis.

1 a. In hac die rex caelorum
In consilio iustorum
Congregat concilia;

1 b. Gaudent animae sanctorum,
Nam illius et illorum
Festa sunt communia.

2 a. Mater Dei gloriosa,
Super omnes speciosa,
Prima est in curia,

2 b. Quasi murra pretiosa,
Sicut balsamus et rosa,
Fragrans plus quam lilia.

3 a. Chori novem angelorum
Huius cantant ante thronum:
Ave, plena gratia.

3 b. O quam canticum sonorum,
Terra resonat eorum
Voce cum melodia.

4 a. Verbi vates, agonista
Canens increpat baptista
Cantus paenitentia.

4 b. Ille dulcis organista
Intonat evangelista
Verba verbi dulcia.

5 a. Sanctitas patriarcharum
Veritasque prophetarum
Legunt semiverbia.

5 b. Dulcis evangelistarum
Sonus resonat alarum,
Cantant evangelia.

6 a. Dignitas apostolorum
Supra vires aliorum
Volat ad sublimia.

6 b. Turba condiscipulorum,
Mensae regis sociorum,
Loquitur magnalia.

7 a. Martyres vivificati
„Facti sumus consolati“
Cantant cum laetitia;

7 b. Ubi corpus, congregati
Gloriantur imitati
Capitis vestigia.

8 a. Beatorum confessorum
Necnon et orthodoxorum
Sapiens facundia

8 b. Flores legit scriptuarum,
Sapor redolet earum
Medullarum pinguia.

9 a. Virgines tenentes chorum
Cantant canticum amorum,
Dulcis est symphonia.

9 b. Iubilo iuvencularum,
Sono tympanistriarum
Regis sonat regia.

10 a. Istis ergo supplicemus
Omniumque flagitemus
Omnes patrocinia,

10 b. Ut cum ipsis decantemus,
Regi nostro iubilemus:
Tibi laus et gloria.

Miss. Petragoricen. imp. Petragoricae 1525. — 1 a, 3 consilia.

179. De Sancto Achatio.

1 a. Regi caeli iubilemus
Melo, fibris hymnizemus
Et cum turma exsultemus
Decem milium militum.

1 b. Hos lictores invaserunt,
Bis tres reges adhaeserunt,
Adriano persuaserunt
In necem horum martyrum.

2 a. Hermolaus,
Pater sanctus,
Horum ductor,
Felix rector,
Divus praesul,
Cum his exsul
Hos instruxit fideliter:

2 b. Este fortes,
En, consortes,
O athletae,
Votis laete
Mundi regna
Dispernenda,
Triumphate viriliter.

3 a. Gentes regum dis libarunt,
Quod hi sancti recusarunt
Et profana praedicarunt
Fore haec daemonia.

3 b. Impudici machinantur,
Sancti viri animantur
Nec terrore alterantur
Anhelantes gaudia.

4 a. Torti sunt iuxta Ararath
Fronde denso cum immenso,

4 b. Acutierum fulmine
Quas immanitas pararat.

5 a. Crucem tollunt abs terrore,
Spineis sunt coronati.

5 b. Christum fantur sin horrore,
Astra petunt laureati.

6 a. Solis fulgur dirimitur,
Lunae splendor discerpitur,
Stellis color diruitur
Per poenas livoratas.

6 b. Petrae quatiuntur scissuras
Per immensas infixuras
Inflictas piis duras
Crudeliter sauciatas.

7 a. Fel, acetum sumunt potum,
Morientes petunt votum,
Quod caelitus promittitur
Per voces angelorum:

7 b. Ut orastis, impetrastis,
Vestri vernae perserventur,
Diva luce perfruentur
Cum thronis supernorum.

8 a. Hi, qui pressuras tolerant
Perturbiis se macerant,

8 b. Perpessi mala suspirant,
Caelestia opimant.

9 a. Terrae motus vergit magnus,
Aeraque nigrescunt,

9 b. Tollunt plagas quasi agnus,
Poenae rubore tremescunt.

10 a. Et omnia supplicia
Infideles per Iudaeos
Tulerunt hi, similia
Quae passus est homo Deus.

10 b. Venerantes passionis
Denorum mille meritum
Exsilient interitum
In statera agonis.

11 a. Hi pro Christo trucidati,
Fragra fide adunati,
Flagris sertis coronati
Mansione siderea.

11 b. Horum ob alta praemia,
O Alpha, nos salvifica
Et pelle fel, da tuum mel,
Ut perlustremus trivida

12. Per infinita
saeculorum saecula.

Miss. Wratislavien. imp. Cracoviae 1505. — Der verwilderte Text spottet jeder Verbesserung; ob er ursprünglich besser aussah? Nur einige Emendationsvorschläge: 4 b. 1 l. aculeorum. — 7 b, 2 l. praeserventur. — 8 b, 2 obtineant. — 11 b, 4 l. trifida.

180. De sancto Adalberto.

1. Annua recolamus
sancti Adalberti gaudia

2 a. Martyris, exsultant
unde caelorum lumina,

2 b. Hodie qui laxa
victor ascendit ianua

3 a. Et mundi votiva
suspendens,
quem crucifixit, spolia.

3 b. Nulla iam turbandus
procella
pace quievit placida.

4 a. Bohemia, filii
cunulas
osculando iubila,

4 b. Edentulo lactea
quae mater
immulsisti ubera.

5 a. Saxonia,
plaude discipuli gloria,
Quem tenera
stringens a puero ferula
Aaron induis infula.

5 b. Quid praesuli
Praga obstrepis indomita?
Si sequeris
huius praevii vestigia,
nulla foedaberis macula.

6 a. O fortis athleta,
post delicias
terens cilicio latera,

6 b. Pedester exemplum
in monachica
Romam intraveras regula.

7 a. Sed praedo sanctae invidens
obsequelae
fracta poculum
effundendo
laguncula
tua occubuit dextera.

7 b. Postremo multis precibus
evocatus
tuis ovibus
salutatis
in Prussia
carnis exueras vincula.

8 a. Polonia
ergo tanti
sepeliens
floret martyrii
pignora.

8 b. Otto Caesar
tua nisus
confidentia
Romanis retulerat brachii
munera.

9. Quem Deo
cum clero et plebe
commendare digneris
sibimet subiecta.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — Melodie: Mater; die Silbenüberschüsse in 8b entsprechen denen der Stammsequenz.

181. De sancto Adalberto.

1 a. Adalbertus, praesul gratus,
Iesu Christo copulatus,
Assit nunc imploratus.

1 b. Bonus pastor, confortatus,
Deitate insignitus,
Stola bina ornatus,

2 a. Caelos scandit laureatus.
Scientia decoratus,
Ad apicem provectus,

2 b. Dignitate fulgens praesul
De patria fuit exsul;
Deum vivum colendo,

3 a. Ecclesiam gubernando,
Iura eius defendendo,
Oppressis condolendo,

3 b. Fecit pietatem aegris,
Compatiens Christi membris
Per Iudaeos venditis.

4 a. Gneznam intrans subministrat
Scientiam effundendo,
Polonos instruendo,

4 b. Hominibus simplicibus,
Timentibus, humilibus,
Salutem quaerentibus.

5 a. Iucundetur Polonia
Sacra agens sollemnia,
Implorans suffragia.

5 b. Ora, pater, supplicando,
Gregem tuum protegendo
Ab incursu hostium.

Miss. Cracoviens. imp. Venetiis 1532. — Ob ursprünglich ein vollständiger Abecedar?

182. De sancto Adalberto.

1 a. Gaude, praesul Adalberte,
Quia caeli portae per te
Sunt diversis apertae.

1 b. Lingua tua caeli clavis
Facta Latmis necnon Slavis
Et in fide ignavis.

2 a. Forma gregis, norma legis,
Lux insignis, ardens ignis
Gentium in tenebris.

2 b. Lampas lucens, stella ducens,
Vas solare, consolare
Flentium illecebris.

3 a. Dignitate praesulari
Sitivisti epulari
Mundi in voragine,

3 b. Ut post posses collocari,
Rubra veste decorari
Caeli in propagine.

4 a. Florens decus confessorum,
Via morum, lux doctorum,
Consolator peccatorum,

4 b. Pugil fortis sis in portis,
Ne nos mali servi mortis
Comprimant Sion in hortis.

5 a. Bone praesul Iesu Christi,
Potum calicis bibisti
Mortis hic in stadio,

5 b. Ubi caput amisisti,
Regnum Dei invenisti
Truncatus cum gladio.

6 a. Doctor clemens, ad te gemens
Clamat tremens, fere demens,
Plebs tua pro venia,

6 b. Atque laudis absque dolo,
Toto zelo, velut audis,
Haec tibi dat naenia.

7 a. Speculando speculare
Omne, quod est saeculare,
Virtute deifice,

7 b. Atque cura procurare,
Dare, stare et amare,
Gratia reficere.

8 a. Dei arca, manus parca
Non sit tibi, sed nos ibi,
Ubi tu es, colloca;

8 b. Ac ab imis, quibus nimis
Sumus mersi nos perversi,
Festinanter revoca.

Sequent. ms. cum Commento saec. 15. Cod. Wratislavien. IV Q 81. — 1 b, 2 Facta Latmis et Sambitis nel[c] [sic!] Sclavis.

183. De sancto Adalberto.

1 a. Ave, sancte Adalberte,
Vota nostra conduc per te
Excusando scelera

1 b. Ad Dominum Iesum Christum,
Quo vicisti mundum istum
Spernens eius foedera.

2 a. Vale, pie mediator,
Esto noster consolator
Consolando miseros,

2 b. Propter tuam passionem
Tutum nostrum fac agonem
Ducendo ad superos.

3 a. Gaude, martyr pretiose
Et pontifex gloriose,
Da post mortem vivere;

3 b. Es a Deo nobis datus,
Quam cito fuisti natus
De Slavonum genere.

4 a. Pie miles Iesu Christi,
Hostes tuos, quos vicisti,
Fac nos eos vincere;

4 b. Mundum, carnem et draconem
Iesu Christi per amorem
Da nobis subicere.

5 a. Eia, pater et patrone,
Nos certantes in agone
Iuva piis precibus,

5 b. Ut per tuum adiuvamen
Sentiamus consolamen
In necessitatibus.

6 a. Praesul Pragae dum fuisti
Vitam sanctamque duxisti
Verbo, voto, opere,

6 b. Vitam, mores conspexisti
Bohemorum, correxisti,
Pie pater, verbere.

7 a. Sed gens prava et perversa,
A nefandis non conversa,
Spernit pium praesulem;

7 b. O gens dura et delira!
Dolo plena atque ira
Patrem facit exsulem.

8 a. Sed tu, pater o sincere,
Volens fidem adaugere
Te transfers Hungariam,

8 b. Poloniam et Prussiam,
Per doctrinam saluberrimam
Frangis idolatriam.

9 a. Nos in fide confortasti,
Multos Christo sociasti
Tuam per industriam;

9 b. Sed dum genti Pruthenorum
Dona propinas caelorum
Arguens perfidiam,

10 a. Gens ignara vitae verae
Non veretur exercere
In te hanc saevitiam,

10 b. . . . .
. . . .
. . . .

11 a. Sanctum Dei spernere,
Lanceis configere,
Immanem dementiam!

11 b. Caput et deponere
Atque palo figere,
O magnam vesaniam!

12 a. Boleslaus, dux praeclarus
Per suam clementiam

12 b. Corpus tuum venerandum
Transtulit in Trzemesznam.

13 a. Sed paulo post atque parum
Pii patris caput carum
Translatum est in Gneznam,

13 b. Ubi sunt absconsa ossa
Multa patris nostri grossa
Nobis in solacium.

14 a. Ergo, pater noster care,
Te precamur, ut servare
Tuos velis sub tegmine,

14 b. Ut post mortem piam sortem
Consequamur, operare,
Corporis et animae.

Miss. ms. Cracovien. anni 1490. Cod. Capit. Cracovien. 1. — 5 b, 3 Nostris in. — 6 a, 3 Verbo vita. — 11 b, 3 In magnam. — 13 b, 1 Ubi ossa sunt absconsa.

184. De sancto Aegidio.

1 a. Laudem Dei veneretur
supplicum devotio,

1 b. Qui nos suae caritatis
illustravit radio.

2 a. Mira visitatio,
Mira consolatio
Profluit divinitus,

2 b. Quam ut mentis gremio
Videamus oculo,
Veni, sante spiritus.

3 a. Iste sanctus, ut nos mundet
Et in bono nos fecundet,
Missus est a Domino,

3 b. Sed ne missus dubitetur,
Missus esse perhibetur
Dei testimonio.

4 a. Qui pro suis meritis
Reis et immeritis
Contulit remedium.

4 b. O miranda gratia,
Quae dedit solacia
Sanctum per Aegidium!

5 a. Virginis infirmitas,
Karoli iniquitas
Cessat et naufragium,

5 b. Angelus apperuit
Facinus, quod latuit,
Sanctum per Aegidium.

6 a. Non in signis vult laudari,
Sed occulte saeculari
Cedit a contagio,

6 b. A mundana cedit vita,
Fit remotus eremita
Confisus in Domino.

7 a. Huic cerva mittitur,
Cuius lacte pascitur
Divina clementia,

7 a. Et ab hoc accipitur,
Quidquid bene petitur,
Sine differentia.

8 a. Pater ergo celebris,
Nos ab his illecebris
Suffocando vitia,

8 b. Ne nos umbra funebris
Longis damnet tenebris,
Transfer ad caelestia.

Miss. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Mus. Cassovien. s. n. A. — Miss. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Capit. Treviren. 158. B. — 1 a 1, veneremur B. — 2 b, 1 mortis A. — 3 b, 2 prohibetur A. — 5 a, 2 Caruli A. — 6 b, 1 O mundana A. — 6 b, 3 Confusus A.

185. De sancto Aegidio.

1 a. Cesset ira, cesset fletus;
Cantus dulcis, cantus laetus
Frequentetur;

1 b. Sanctum festum Aegidii,
Nostri patris egregii,
Celebretur.

2 a. Hic Athenis,
urbe clarissima,
Natus stirpe
de nobilissima
Duxit originem;

2 b. Iste quidem
suam prosapiam
Propter sibi
datam industriam
Fecit plus nobilem.

3 a. Literarum
statim ad studia
Fuit missus
in puerita
Corde pollens docili,

3 b. Scripturarum
ut per scientiam
Elongaret
omnem inertiam
A se mente vigili.

4 a. Sub aetate iam tenera
Praeclara patrat opera
Miserans pauperibus:

4 b. Vestem praestat mendicanti
Et salutem aegrotanti
Fusis Deo precibus.

5 a. Sancti fama excitatus
Suos mittit magistratus
Ad eum rex Franciae,

5 b. Ut se velit visitare,
Mentem eius emundare
A peccati scabie.

6 a. Orat sanctus, et testatur
Angelus, quod condonatur
Iam peccatum regium.

6 b. Sic pro nobis semper oret
Trinitatem et imploret
Pro peccatis omnium.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 2b, 1 sq. Iste qui de sua prosapia AB.

186. De sancto Aegidio.

1 a. Salve, pater coronate,
Caeli regnis adunate,
Sitisti nam martyrium.

1 b. Auge tuis supplicibus
Tuarum precum fructibus
Praemia post exsilium.

2 a. Normis vernas electorum,
Fac adesse angelorum
In thronis contemplantes.

2 b. Conquire nobis lucida
Hinc per tua suffragia
Gaudia consequentes.

3 a. Tu vicisti lubrica
Despexistique lucrida
Post obitum parentum;

3 b. Uirtus haec deifica
Explevit in te nimia
Lucraturus talentum.

4 a. Solve reatus vincula
Averteque pericula
Post vitae exterminium.

4 b. Sancte pater, funde preces
Fugaturus nostrae faeces
Squaliditatis criminum.

5 a. Euge, patrone extollende,
Viribus totis recolende,
Eremi tu subditus,

5 b. Gyrans mundi per vagabunda
Spernens et saecli laetabunda,
Tractus sic divinitus.

6 a. Ima intrasti tu rubeta,
Antra quaesisti plus secreta
Habitatione sedula;

6 b. Dira rupe tunc fons scaturit,
Cervaque nutrix lac protulit
In petrae angustae cellula.

7 a. Inter feras habitasti,
Throni fulvum tu lustrasti,
Per meritorum exitus.

7 b. Ueta planctus tu inferi
A nobis sic, ut cernui
Con . . . .

S . . . .
. . . .
. . . .

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Siles. Fol. I 83 b. — 1 a, 3 Siteris nam. — Das Akrostichon „Sanctus Egidius“ zeigt, dafs eine Schlufsstrophe fehlt; vielleicht ist 4 b, 1 zu lesen: Alme pater.

187. De sancto Agerico.

1 a. Congaudeat civitas,
Plaudat universitas
Virdunensis patriae;

1 b. Agerici gratia
Innovantur gaudia
Filiis ecclesiae.

2 a. Hunc, priusquam veniat
In mundum, praenuntiat
Angelus triennio.

2 b. Praesulatus infulis
Decoratus populis
Praesidet praesidio.

3 a. Sol solito clarior
Et terris vicinior
Totus incanduerat,

3 b. Pulsis procul nubibus
Et suspensis imbribus
Sata terrae laeserat.

4 a. In conspectu omnium
In luctu degentium
Se sanctus humiliat,

4 b. Sitientem precibus
Terram potat imbribus
Et aquis inebriat.

5 a. Ruit imber et procella,
Christus solus est pro cella
Et pro tecto praesuli;

5 b. Praesul in sereno situs
Fundit imbres, tenent litus
Aquas circa populi.

6 a. Homo vernat aridus,
Daemon fugit pavidus
Ipsius imperio;

6 b. Clausa dudum lumina
Reparat in femina
Virtutis collirio;

7 a. Et praesulum praesuli
Revelantur loculi,
Quos declarant saecula;

7 b. Solo sancti poculo
Et crucis signaculo
Fecundantur vascula;

7 c. Vinum, quod defuerat,
Vincit et exsuperat
Childeberti pocula.

8 a. Si quis ista reprobat,
Exitus acta probat,
Mors aperta facie:

8 b. Sancti prodit meritum,
Cum emittit spiritum
In columbae specie.

8 c. Delectare laudibus
Nostris, praesto precibus
Sis, pastor egregie.

Miss. ms. Virdunense saec. 15/16. Cod. Virdunense 99. A. — Miss. Virdunense imp. Pasisiis 1509. B. — Miss. Virdunense imp. Parisiis 1554. C. — 4 a, 2 lugentium C. — 6 a, 2 fugat AB. — 7 a, 2 Relevantur C.

188. De sancta Agnete.

1 a. Praesens coetus
Agneti decantet laetus
Alleluia,

1 b. Quam signavit
Christi sanguis, et ornavit
Res miranda.

2 a. Agnes agnum sequitur,
In palam producitur
Sol de stella,

2 b. Sponsum Christum indicat
Et hunc voce praedicat
Semper clara.

3 a. Preces, minas, verbera
Contemnit et munera
Pari forma.

3 b. Caeditur exterius
Nec per hoc interius
Fit corrupta.

4 a. Nulla tam amabilis
Nec tam admirabilis
Valle nostra.

4 b. Ad lupanar trahitur,
Sed nunquam corrumpitur
Carne sumpta.

5 a. Crines crescunt, mittitur
Ipsi vestis; moritur,
Cuius mens convincitur
Esse caeca.

5 b. Surgit, qui perierat,
Et ad fidem properat,
Populus considerat
Haec praedicta.

6 a. Igne non laeditur,
In quo proicitur,
Nec sic convertitur
Gens misera.

6 b. Ense perimitur,
Sic agno iungitur
Agnes, quem genuit
Puerpera.

Miss. Romanum imp. Parisiis 1517. A. — Miss. Metense imp. Metis 1545. B. — Melodie offenbar: Laetabundus.

189. De sancta Agnete.

1 a. Exsurgat propere
Chorea virginum,
Festinet libere
Laudare Dominum
Regentem culmina;

1 b. Prudentes, surgite
Sumentes munera
Sponsoque dicite:
Iam nobis resera
Conclavis limina.

2 a. Agnetis proelium
Necnon constantiam
Coetus fidelium
Laudet ad gloriam
Sexus feminei.

2 b. Virgo laudabilis
Tormenta pertulit,
Christo placabilis
Se totam obtulit,
Exemplar fidei.

3 a. Praefecti genitus
Agnetem diligit,
Quem virgo penitus
Et dona negligit
Licet insignia;

3 b. Assensum renuit
Dare monitibus,
Nec uti libuit
Coniungi nexibus
Spernens connubia.

4 a. Tunc ad prostibula
Nuda distrahitur,
Sed eius formula
Capillis tegitur,
Ut pudens lateat;

4 b. Et turpitudinis,
Qui erat squalidus,
Ingressu virginis
Locus fit nitidus,
Ut virtus pateat.

5 a. Sed auctor sceleris
Praesumens ingredi,
Relictis ceteris
Hanc temptans aggredi,
Repente cecidit;

5 b. Stupet Symphonius
Nato sic perdito,
Deus propitius
Agnetis merito
Mox prolem reddidit.

6 a. Extinctis ignibus
Percussa gladio
Iam cum caelestibus
Potitur bravio,
Quod mente petiit.

6 b. Precemur iugiter,
Ut cum hac virgine
Vivamus pariter
In Christo, nomine
Pro cuius obiit.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 4 b, 4 Luctus AB. — 6 b, 2 Et cum AB. — 6 b, 4 In Christi AB.

190. De sancto Albano.

1 a. Hac in die
Mentis piae
Vota Christo decentia

2 a. Moguntina
Solvat prima,
Tota dehinc ecclesia,

2 b. Et Albani
Nomen mani-
festa colat laetitia.

3 a. Quem tamdiu perscrutatum
Iam patronum habet tutum
In caelesti curia;

3 b. Hodierna enim die
Sunt ostensae caeli viae
Illi pro victoria.

4 a. Qui, dum hic in mundo vixit,
Legi carnis contradixit
Christi se negotio.

4 b. Subdens, quem et praedicatur
Et talenta duplicatur
Functus sacerdotio.

5 a. Adit tandem Moguntinos
Cives atque peregrinos
Necat cultus, ne divinos
Faunis dent ac Satyris.

5 b. In quem saevit turba multa,
Crux debetur cui multa
In inferno consepulta,
Rea morte martyris.

6 a. Nam ab ipsis fustigatur,
Caput dehinc amputatur,
Quod mox ipse amplexatur
Firmis utens gressibus.

6 b. Martyrum te dicunt florem,
Nam humanum transis morem
Augens decus et honorem
Ceteris martyribus.

7 a. Sprevit funus libitinam,
Urbem vertit Moguntinam
In stuporem, vim divinam
Sentiunt, qui aderant.

7 b. Quo erroris nulla via
Est iam, neque themesia
Deitatis ab usia
Arrii ablacerant.

8 a. A quo tua laus dictatur,
Quamvis plene non cantatur,
Sana hoc capitulum;

8 b. O Albane, o patrone,
Assignatos iam repone
Tuum nos in titulum.

9 a. Et ex valle lacrimarum
Transfer nos ad lumen clarum,
Caeli lucens curiae,

9 b. Ut post huius vitae legem
Contemplemur caeli regem
In decore gloriae.

Miss. Merseburgense imp. Lipsiae 1502. — 2 a, 1 Moguntia. — 2 a, 2 primo. — 2 b, 2 Non manifesta. — 5 a, 4 Phanis. — 5 b, 1 quem sentit.

191. De sancto Amato.

1 a. *Almum pastorem*
Nobilis prosapiae,
Praedicatorem
Folii iustitiae,
Nunc imploremus
pro salute veniae.

1 b. *Qui monachorum*
Normas Agaunensium
Centuriorum
Didicit indicium,
Elegit antri
deserti tugurium.

2 a. Spernit mundana,
Montem solus graditur,
Respuit vana
Nec peccato vincitur,
In monte celso
domus huic struitur.

2 b. Sed elongatur
Quaedam trabs, quae scinditur,
Et declaratur
Sanctitas, quae tegitur
Prius, a plebe
mire trabs inspicitur.

3 a. Iam coeperat ruere
Saxum quoddam mobile
. . . .
. . . .
Sed signo crucis
fecit illud stabile.

3 b. Molam torrebat
Amatus lapideam,
Corpus domabat
Et catenam ferream
Gestabat stricte
iuxta cutem carneam.

4a. Sex nucleis [hic]
tempore ieiunii
Contentabatur
semper hora prandii;

4b. Mel, aquam iussit
fluere ex silice
Et ut Moyses
fecit haec mirifice.

5a. Calciamenta
non gerit in pedibus,
Laeduntur plantae,
fremit in frigoribus.

5b. Recusans aurum,
quod praeses obtulerat,
Avari ritus
exemplis vituperat.

6a. Sed Sedunensis
Praesul post efficitur,
Vallesiensis
Plebs per hunc instruitur,
Ipso loquente
daemon fuga rapitur.

6b. Imperatoris
Praeceptis exsilio
Aemulatoris
Credentis consilio
Est deputatus
severo iudicio.

7a. Afflictiones
Relegatus pertulit,
Temptationes
Diaboli reppulit,
Thymiamata
coenobiis intulit.

7b. Daemoniorum
Maxima potentia
Et obsessorum
Ab eis saevitia
Statim fugatur
Amati prece pia.

8a. Sanctae Mariae
Dum templo prosternitur,
Lucis nimiae
Iubar caeli mittitur,
Plenum gloriae
Desuper conspicitur.

8b. Nobis bravium
Detur prece praesulis
Caeli civium
Cum ornatis infulis,
Utamur secum
Caelestibus epulis.

Grad. ms. Sedunen. saec. 13. Cod. Capit. Sedunen. s. n. add. saec. 14 A. — Sequent ms. Sedunen. saec. 14. Cod. Capit. Sedunen. s. n. B. — 3a, 1 Zwei Silben zu viel; die Strophe ist überhaupt verderbt. — 4b, 1 sq. aquam fluere iussit AB. — 8a, 3 Claritatis nimiae AB. — 8a, 5 Plenum magnae gloriae AB.

192. De s. Angelo Custode.

1a. Celebremus
Praesentis diei festum
Mente pura,

1b. Ad aeternum
Angelus consistit regnum
Custos in qua.

2a. Quem Deus de hierarchia
Nobis dedit pro custodia
Ense data.

2b. Offert Deo bona nostra
Nobis dans subsidia
Voce digna.

3 a. Neque servos deserat,
Sed nos semper protegat
Prece pia,

3 b. Pastor noster inclitus
Nostros ferat gemitus
Super astra.

4 a. Oves suas foveat,
Alat, mores instruat
Atque vota.

4 b. . . . .
. . . .
. . . .

5 a. Prosequamur laudibus,
Iubilemus vocibus
Et odis insignibus
Eius festa.

5 b. . . . .
. . . .
. . . .
. . . .

6 a. Custos egregie
Dulcis familiae,
Quae dat hodie
Praeconia.

6 b. Tibi canamus
Omnes una, cuncta
Te veneramur
Per saecula.

Officia ms. Gerundensia saec. 15. Cod. Semin. Gerunden. 2309. — 6 b, 2 sq. una te veneramur cuncta. — Melodie: Laetabundus; Sinn und Form vielfach verderbt, namentlich in 1 b, 2 a, 6 b.

193. De sancta Anna.

1. Ad matris Annae annua
Extollenda praeconia

2 a. Confluat mente devota
Redemptorum ecclesia.

2 b. Haec regis et patriarchae
David proles et Abrahae,

3 a. Haec aurora
Stellam mundo protulit,

3 b. In area
Vellus haec exposuit.

4 a. Haec est radix stirpis Iesse,
Ex qua virgo sumpsit esse,
Quae divinum profert florem *
Et fert fructum contra morem. *
Virga florem, *
Vellus rorem *
Suscipit.

4 b. Stella solem,
Virgo prolem
* Edidit.
* Fabricatur in hac Anna,
* Quae supremum clausit manna,
* Arca novi testamenti
Et res magni sacramenti.

5 a. Manna verum,
quo mundus pascitur,

5 b. Est hic puer,
qui nobis nascitur.

6 a. Haec est terra,
de qua veritas ascendit,

6 b. Est hic panis,
qui de supernis descendit.

7 a. Vere felices dominae,
Per quas Deus in homine
Salutem operatus est.

7 b. Felix mater cum filia,
Quibus sanctorum milia
Canunt epithalamia.

8 a. Ergo, tanta
ditatae gloria,
Vos reorum
tangat memoria,

8 b. Dum pro servis
rogatis filium,
Non negabit
pius auxilium.

9 a. Praestate,
Quod debetis reis;

9 b. Astate
Unico pro eis,

10 a. Ut in cena generali
Et in veste nuptiali

10 b. Sponso psallamus pariter
Precantes illum iugiter,

11. Ut nos in gloria sua
Secum faciat gaudere;
Ubi pax et lux festiva,
Decantemus Hosanna.

Prosar. ms. Cantuarien. saec. 12 ex. Cod. Londin. Calig. A XIV. A. — Miss. ms. Augustan. saec. 12. add. saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Londinen. Add. 11669. B. — Miss. ms. Olomucen. saec. 14. in. Cod. Capitul. Olomucen. 131. C. — Miss. ms. Olomucen. saec. 14. Cod. Capit. Olomucen. 138. D. — Miss. ms. saec. 15. Cod. Scotorum Vindobonen. 53 d 18. E. — Miss. ms. Voravien. saec. 15. Cod. Voravien. 35. F. — Miss. ms. Cenomanen. saec. 15. Cod. Cenomanen. 353. G. — Miss. ms. Cenomanen. saec. 15. Cod. Cathedr. Cenomanen. s. n. H. — Miss. ms. Rotomagen. saec. 15. Cod. Rotomagen. 284. I. — Miss. ms. Rotomagen. saec. 15. Cod. Rotomagen. 280. K. — Miss. ms. Strigonien. saec. 15. Cod. bibl. publ. Salisburgen. V. 1 B. 23. L. — Cod. St. Petri Salisburgen. b II. 30. saec. 15. M. — Die Varianten von A fehlen leider.

2 a, 2 Redemptoris ecclesia C. — 2 b, 1 et patriarchae fehlt C.; Haec regina L. — Nach 2 b, 2 folgt: Orta ex alto genere, summum genus digna gignere M. — 4 a, 1 radix et stirps BL. — 5 a, 2 per quod mundus C. — 5 b, 1 Hic est puer G. — 6 a, 2 ex qua Dei CM. — 7 b fehlt B. — 8 a, 2 deitatis gloria B; deitatis gratia L. — 8 a, 4 cingat nunc memoria BM. — 8 b, 1 Cum pro GHL; Nunc pro BM. — 8 b, 2 rogetis B. — 9 b, 1 Astante L; Astare BM. — 9 b, 2 unigenito pro eis L; vincto pro eis G. — Von 10 a, 1 an ist eine dreifache Recension vorhanden, nämlich aufser der vorstehenden in BM:

10 a. Ut in cena generali
Exultantes pariter

10 b. Et in veste nuptiali
Psallant tunc alacriter,

11 a. Ut cum sanctis in supernis
Fruamur donis aeternis

11 b. Et Maria necnon matre
Suo nato atque patre.

12. Istud Anna cum Maria
Nobis praestent prece pia.

In HIK dagegen:

10 a. Ut in cena generali
Et in veste nuptiali
Sponso psallamus pariter,

10 b. Ubi sempiternus cantus,
Ubi sanctus, sanctus, sanctus
Auditis aeternaliter.

11 a. Ibi pax et lux festiva,
Ibi rex omnis conviva,

11 b. Illic tecum manet Anna,
Ibi cantemus Hosanna.

Welche von diesen drei Lesarten ist die ursprüngliche? Von der ersten, der im Text, sagt Misset (Supplementum p. 184), sie habe ni rime, ni rythme ni construction grammaticale; es wäre zu wünschen, er hätte der Melodie einige Aufmerksamkeit geschenkt; er würde vielleicht bemerkt haben, dafs nur ein Text den Parallelismus derselben unverdorben läfst.

194. De sancta Anna.

1. Summi patris gratia

2 a. Coaeternum per filium
Vitae parans remedia

2 b. Incarnari constituit
Hunc de virgine Maria.

3 a. Quae cunctorum
per prophetarum
repromissa
diu praeconia

3 b. De sanctorum
patriarcharum
est exorta
genealogia.

4 a. Nam ipsius inclita
genetrix Anna,
Iesse stirpis propago
regia,
iusti uxor
Ioachim socia,

4 b. Sanctissimam genuit
natam Mariam
Gabrielis per verba
nuntia;
o aeterna
salutis gaudia!

5 a. Magna sunt sanctae
merita Annae,
Christus de cuius
natus est prosapia.

5 a. Crucis per mortem
qui vincens fortem
vitae redemptis
reseravit atria.

6. Cui cum patre spirituque
sancto par est et gloria.

Miss. ms. Sanblasianum anni 1491. Cod. Paulanus Sanbl. memb. 64. A. — Miss. ms. Constantiense anni 1510. Cod. Capit. Constantien. s. n. B. — Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. C. — Miss. Basileense imp. s. l. et a. D. — Miss. Constantien. imp. Basileae 1485. E. — Miss. Curiense imp. Augustae 1497. F.

1—4 a, 2 fehlen F. — 2 b, 2 intacta virgine E. — 3 a, 2 per fehlt A; per promissa BC. — 3 a, 3 prophetarum BC. — 3 a, 4 Diu fehlt C. — 3 b, 2 est exorta BC. — 3 b, 3 patriarcharum AB. — 4 a, 4 ff. fehlt bis Schlufs C. — 4 b, 1 Sanctissima AB. — 5 b, 4 reserat ADEF. — 6, 2 et fehlt DE. Vergl. Roman. Forsch. IV, 514.

195. De sancta Anna.

1 a. Omnis mundus
Decantet et sit iucundus,
Alleluia.

1 b. Nova festa
Nunc assunt sed diu gesta,
Res miranda.

2 a. Virga Iesse produxit,
De qua Christus illuxit,
Sol de stella.

2 b. En, dilecti pariter
Vixerunt feliciter
Fide clara.

3 a. Tandem illis visio
Monstratur ab angelo
Pari forma.

3 b. Crediderunt nuntio,
Nec horum devotio
Fit corrupta.

4 a. Post haec Anna credidit
Et Mariam peperit
Valle nostra,

4 b. De qua Christus nascitur,
Eius lacte pascitur
Carne sumpta.

5 a. Iste Dei filius
Missus erat caelitus,
Sed hunc plebs Iudaica
Damnat caeca.

5 b. Inde crucifigitur,
Lancea perfoditur;
Fecit haec per delicta
Plebs praedicta.

6 a. Iesu, nos adiuva
Cum matre Maria,
Educ de valle
hac misera

6 b. Ad caeli gaudia,
Ubi tu cum Anna
Regnas et matre
puerpera.

Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. — 2a u. 2b umgestellt. — 6b, 3 et mater. — Melodie natürlich: Laetabundus.

196. De sancta Anna.

1 a. Anna, mater gloriosa,
Stella micans pretiosa,
Salutis initium,

1 b. Concepisti modo miro
A Ioachim tuo viro
Salvatricem omnium.

2 a. Nostra salus fit puella,
Quam in tua Deus cella
Reclusit pro homine;

2 b. Tu naturae contra ritum
Fetum nutris inauditum
Caelesti spiramine.

3 a. Ave, cuius viscera
Contra iuris foedera
Ediderunt filiam;

3 b. Ave, carens simili,
Mundo diu flebili
Dedisti laetitiam.

4 a. Ave, virtutum lucerna,
Per quam fulsit lux superna
His, quos umbra tenuit.

4 b. Ave, mater, de qua nasci
Et de cuius lacte pasci
Virgo dulcis decuit.

5 a. Ave gemma,
caeli luminarium,

5 b. Ave, sancti
spiritus sacrarium.

6 a. O quam mirabilis
Atque laudabilis
Haec est maternitas,

6 b. In qua per angelum
. . mirificum
Fulget fecunditas.

7 a. O quam sancta, quam serena,
Quam benigna, quam amoena
Felix Anna creditur,

7 b. Per quam servitus finitur,
Porta caeli aperitur
Et libertas redditur.

8 a. O puritatis lilium,
Placa matrem et filium,
Qui caput est humilium,

8 b. Ne nos pro nostro vitio
In flebili iudicio
Subiciat supplicio.

9. Sed nos sua sancta prece
Mundans a peccati faece
Collocet in lucis domo;
Amen dicat omnis homo.

Miss. Bisuntinum imp. Parisiis 1497. A. — Miss. Bisuntinum imp. Venetiis 1551. B.

197. In Inventione s. Annae.

1 a. Ad honorem Dei patris
Celebretur Annae matris
Votiva memoria,

1 b. Eius quoque filiarum
Recolantur beatarum
Festiva sollemnia.

2 a. Materteras [tres] luminis
Regis veneretur nostri
Devota celebritas,

2 b. O quam felix, quam serena,
Triplicata luce plena
Coruscat festivitas.

3 a. Castitatis casta cella,
De qua maris orta stella
Lucet mundo celebris,

3 b. Per quam vidit magnam lucem
Et adesse Christum ducem
Plebs sedens in tenebris.

4 a. Felix fuit mater Anna,
Nobis pluens dulce manna,
Dum Mariam genuit,

4 b. In qua puer nobis natus,
Est filius Dei datus,
Nobis salus adfuit.

5 a. Anna mater tres maritos
Virtutibus insignitos
Habuisse creditur.

5 b. Et de tribus tres Marias,
Sanctitate plenissimas,
Peperisse legitur.

6 a. Haec Ioachim, sponso primo,
Post Cleophae datur bino
Salomaeque tertio;

6 b. Istos trinos genitores
Habuerunt tres sorores
Divino iudicio.

7 a. Prima soror Ioseph nupta
Virgo manens incorrupta
Per aeterna saecula;

7 b. Desponsatur et Alphaeo
Bina, trina Zebedaeo
Coniugali copula.

8 a. Naturali suo more
De Iacobo fit minore
Praegnans soror altera,

8 b. Sed maiorem trina fudit
Et Iohannem non excludit
Felix haec puerpera.

9 a. Hae sunt, quae ad monumentum
Unctionis complementum
Ferunt aromaticae.

9 b. Magdalena cum matronis
Istis resurrectionis
Praeco fit dominicae.

10 a. Quae dum volunt introire
Et sepultum invenire,
Quem credebant mortuum,

10 b. Has angelus sic dixerit,
Dicens: Christus iam surrexit,
Ecce locum vacuum.

11 a. Ergo matrem atque natas
In hoc festo tam beatas
Colamus assidue,

11 b. Ut caelorum super sedes
Claritatis nos heredes
Faciant perpetuae.

12 a. Anna, mater gloriosa,
Puritatis fragrans rosa,
Parens tantae subolis,

12 b. O sacrarum par sororum,
Nos in regno beatorum
Iungite caelicolis

13. Per aeterna saecula.

Brev. Aptense imp. Lugduni 1532. — 2 a, 1 Materterae. — Auf Strophe 10 b folgt noch:

Non oportet vos timere,
Vobis enim dico vere:
Surrexit a mortuis.

Da diese Strophe kein Parallelglied enthält, so ist dieselbe entweder eine Interpolation, oder die Antistrophe ist ausgefallen. Wahrscheinlicher dürfte ersteres der Fall sein, da der Gedankenfortschritt durch Auslassung der Strophe nicht gestört wird.

198. De sancto Antonino.

1. Celebranda
praeclari martyris
tropaea

2 a. Redimit hodie
anni orbita,
quem genus exornat
sanctaque vita.

2 b. Nobilis etenim
stirpe regia,
nobilior fide
propter opera,

3 a. Eruditus denique
lege sacra
doctores habuit
magnos in ecclesia.

3 b. Ordine, moribus,
vita, gratia,
quae non discreparent
a lege catholica.

4 a. A quibus, factus levita,
missus erogare semina

4 b. Multorum rigat arida
fluento perenni pectora.

5 a. Patrat miracula,
pellit daemonia,
fugat cuncta vitia.

5 b. Sic Romae propinqua,
sic et plura loca
visitat in Gallia.

6 a. Confessio pretiosa
sanctum Christi militem
vexit ad caelestia.

6 b. Nam pro fide catholica
caesus caput plectitur
in castro Appamia.

7 a. Cuius ut una
cruor stillavit in fluenta
gurgitis in fundo
adnexus lapidi,
non est lapsus cum aqua.

7 b. Hic, hic, natura,
hic amisisti tua iura,
liquidum liquido
nequis confundere,
sicut eras solita.

8 a. Famulatur subinde
sors angelica,
quae caput susceperunt
in navicula
et sub aquilarum forma
vati nobili
praebent sancta pignora.

8 b. O res mira, res nova,
res inaudita,
quae sibi contigisse
stupet natura,
retrograditur carina,
quamvis humana
desint adminicula.

9 a. Corpus in frusta
caeditur multa,
gurgitis spargitur
in fluenta,
sed nihil proficit
invidia.

9 b. Compage sua
nectuntur membra,
corpori redditur
forma sua,
siccum remanet
in arena.

10 a. Mirandis succedunt miranda,
quia cursum suspendit unda,
sceleris pro vindicta
tendit in Appamia,
diruit aedificia.

10 b. Stupens ergo tot miracula
ad se gentilis plebs reversa
vana spernit idola
et ad fidem conversa
baptismo lavit crimina.

11 a. Sic operatur vis divina,
frumenti granum sorbet terra,
ex eo subcrescit seges multa,
quae cum summa laetitia
sancti martyris levat pignora.

11 b. Levatur corpus ex arena,
levatur sanguis clausus petra,
Iohannes et Almachius una,
et sociat sepultura,
quos iunxerat fides et opera.

12 a. O Antonine inclite,
o martyr sancte,
o pastor et fortis athleta,
o doctor bone, tua
deposcimus suffragia,
tibi iunge nos
in caelesti curia.

12 b. Tibi sanctorum agmina
congratulantur
de tibi collata gloria,
caelestis aula summa
tripudiat laetitia,
et praesens tibi
supplicat ecclesia,

13. Cui locum impetra
in sempiterna gloria.

Miss. Tolosanum imp. s. l. anno 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — 2 a, 1 Redemit AB. — 8 a, 6 vali B.

199. De sancta Apollonia.

1 a. O felix Apollonia,
Quanta te suspiria
Pulsant, quae innumera
Sustulisti verbera.

1 b. Tu caeli freta iubilo,
Prona sis auxilio
Tuis, virgo, famulis,
Qui te colunt precibus.

2 a. Gratiarum stipendia
Porrige certantibus
In valle lacrimosa,
Ut luce beatitudinis
Fruamur copiosa.

2 b. Superorum stipendia
Adhibe gementibus
Tua per suffragia,
Quos carnis aestuat stimulus,
Colona olymporum.

3 a. A dolore dentium,
A languore mentium
Tu serva vernantes,
Ne laudum vota
Irrita fiant per
contraria.

3 b. Ut calore spiritus
Inflammatus promptior
Sit noster conatus
Neumarum novas
Ad pangendas odas
in patria.

4 a. Ad amoena paradisi
Nos transferre satage,
Quo Seraphim et Cherubim
Sanctus clamant iugiter.

4 b. Quo iubilo melliflua
Modularis carmina,
O felix Apollonia,
Nobis assis in hora

5. Ultima.

Orat. ms. Underdorfense saec. 15. Clm. Monacen. 7815. A. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 20124. B. — Orat. ms. Tegurinum saec. 15. Clm. Monacen. 19636. C. — Form und Haltung bekunden hinreichend die liturgische Sequenz.

200. De sancto Augustino.

1 a. Cedrus alta Libani,
Valle de Gethsemani
Surgens impinguata,

1 b. Vox clamantis, organi,
Chori, tubae, tympani,
Vox articulata,

2 a. Turris fortitudinis,
Vallis pulchritudinis
Flore picturata,

2 b. Speculatrix numinis,
Aquilini luminis
Avis sublimata,

3 a. Augustino verius,
Si legis interius,
Haec sunt comparata;

3 b. Intellecta dulcius
Sapiunt sapidius,
Haec exenterata.

4 a. Virtus cedri penitus
Serpentinos halitus
Fugat odorata;

4 b. Augustini spiritus
Redolens divinitus
Necat venenata,

5 a. Inaequalis Arrii,
Turbidi Sabellii
Verba toxicata,

5 b. Impii Nestorii,
Tumidi Pelagii
Dicta scelerata;

6 a. Verbo frangit, diruit,
Dissipat et destruit
Veritas armata;

6 b. Haeresis occubuit,
Per hunc cito corruit
Fraus inaniata.

7 a. Prima patrum regula
Vetus per hunc cartula
Fuit restaurata.

7 b. Dulcis eius fistula
Concinit, ut singula
Sint communicata,

8 a. Amor et concordia
Et oboedientia
Simul foederata,

8 b. Pariter sint paria,
Pereant disparia,
Paritas est grata.

9 a. Ergo, praesul praesulum,
Veritatis speculum,
Mens elucidata,

9 b. Auge Christo populum,
Nomen notat cumulum,
Res sit augmentata.

10 a. Custos gregis, adveni,
Pastor, oves praeveni,
Serva commendata;

10 b. Augustine, subveni,
Precibus interveni,
Duc nos ad optata.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 6 b, 2 hunc vita corruit.

201. Votivalis prosa Aurelii Augustini.

1 a. Concors sono
Patrono
Decantet vita
Alleluia.

1 b. Surda aspis
Fit iaspis
Ex Basan cita,
Res miranda.

2 a. Ut audit sanctum, mente
Augustinus fit lente
Sol de stella.

2 b. Quem dum sacer fons novat,
Pia genetrix ovat
Semper clara.

3 a. Ut fert verbum fidei,
Haeresis Manichaei
Fit corrupta.

3 b. Cibum mandit grandium,
Quo fit pars humilium
Carne sumpta.

4 a. Triginta nec non mille
Libros dictavit ille
Valle nostra,

4 b. Per quos ad caelos ille
Nos transferret tranquille
De valle taetra.

5 a. Coaequalem filium
Patri probat, Arrium
Quo confutat devium
Mente caeca.

5 b. Miser, miser Arrius!
Quia fide dubius,
Crepuit hic medius
Post praedicta.

6 a. Dulcis Augustine,
Finem culpae trinae
Fer, ne simus
gens misera.

6 b. Mente, verbo, opere
Munda nos propere,
Dans, quem genuit
puerpera.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhus. s. n. — Melodie offenbar: L a e t a b u n d u s.

202. De sancto Augustino.

Infra Pascha et Pentecosten.

1. Incliti doctoris laudes
intonent christiani

2 a. Augustini, qui oves
lapsas reduxit patri,
vita, verbo docens
peccatores.

2 b. Mors et vita duello,
conflixere mirando,
errore mortuus
dum fit vivus.

3 a. Dic nobis, quo pia
Tanta tibi sophia?
Sub ficu iacens dum flebam,
„Tolle, lege" intus
audiebam.

3 b. Ad caelicam vocem
Aperui codicem;
Mox luxit Christus, spes mea,
Infusa veri luce
serena.

4 a. Credendum est magis tuae
doctrinae veraci,
Quam perfidorum
sectae fallaci.

4 b. Scimus Christum te sumpsisse
ad superos vere;
Tu nobis, pater,
dux, miserere.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusense anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. A. — Cod. Palat. Vindobonen. 3301. saec. 16. B. — 3 a, 1 qua B. — 3 a, 4 lege cantus A. — Melodie: Victimae paschali.

203. De sancto Augustino.

1 a. Augustino laudes demus,
Augustini qui gaudemus
Meritis et gloria;

1 b. Clerus ipsum veneratur,
Per quem cleri sublimatur
Dignitas et gratia.

2 a. Hic est Augustinus pater,
Quem seductum pia mater
Et secutum devia

2 b. Post innumeros errores
Ad virtutum traxit mores
Per multa suspiria.

3 a. Hic est ille vir beatus
Die nocte meditatus
In lege dominica,

3 b. In quo veritas laetatur,
Per quem semper obpugnatur
Pravitas haeretica.

4 a. Iste pater clericorum,
Forma regularium
Et exemplar est cunctorum
Sub norma degentium;

4 b. Iste rivus sacri fontis
Rigatoris mentium,
Hic est collis eius montis,
Qui mons exstat montium.

5 a. Ecce, palmes vitis verae
Multum fructum adferens;

5 b. En, Israelita vere
Nullum dolum proferens.

6 a. Qui de servo fit amicus,
Quem non laedit inimicus
Qualibet iniuria;

6 b. Qui talentum duplicavit,
Duplicatum reportavit
In regis praesentia.

7 a. Tu vectis imputribilis,
Intromissus in circulis,
Ut portes arcam foederis,

7 b. Et mensa reflexibilis,
Divini panis fertilis,
Id est verbi et operis.

8 a. Tu fiala, tu cyatus
Candelabri, tu calamus
Auri fulgore rutilus,

8 b. Et tuba tabernaculi
Convocans coetum populi
Audire iussa Domini.

9 a. Tuque reclinatorium
Salomonis mirificum
Et sedes sapientiae,

9 b. Tu columna argentea
Sustentans aedificia
In figura ecclesiae.

10 a. Tu lapis aedificii
Illius Salomonici,
Hoc est templi dominici,

10 b. Qui quadratus ad regulam
Perornas Christi fabricam,
Catholicam ecclesiam.

11 a. Pane vitae satiatus,
Salutaris debriatus
Aqua sapientiae.

11 b. Iam per terras veneraris
Et in caelis adornaris
Stola innocentiae.

12 a. O caeli luminarium
Et vas sacrarum artium,
Doctor doctorum omnium,

12 b. Fer clero patrocinium,
Sis clericis refugium,
Ne fiant in opprobrium.

Miss. Gebennen. imp. Gebennae 1498. A. — Miss. Gebennen. imp. Lugduni 1521. B. — Miss. Lausannen. imp. Gebennae 1522. C. — 1 b, 3 clerus AB.

204. De sancto Augustino.

1 a. Corde, voce Deum laetus
Semper laudet noster coetus;
Eius beneficio,

1 b. Augustine, tuam normam,
Regularis vitae formam,
Assumpsit religio.

2 a. Hanc fervore primitivo
Pulso procul sub nocivo
Fasce torpens glacies

2 b. Opprimebat ad defectum,
Nec spondebat hinc profectum
Vernalis temperies.

3 a. Imminebat iam securis
Intentando perituris
Ruinosum terminum;

3 b. Augustinus se opponit,
Placat iram et adponit
Salutarem cophinum.

4 a. Clericalis vitae scita
Docet verbo, docet vita,
Dignam scribens regulam,

4 b. Dum fervore sanctitatis
Et amore paupertatis
Sese praebet formulam.

5 a. Datur imber temporinus,
Disciplinae manat rivus,
Rigantur areolae;

5 b. Promunt lilia candorem,
Rosae gratum dant ruborem,
Purpurescunt violae.

6 a. Cedit languor oppressivus,
Regnat vigor redivivus
Et floret in clericis;

6 b. Fiunt sanctum Dei templum,
Dum vivendi dant exemplum
Prout debent laicis.

7 a. Ira Dei iusta quidem
Per prophetam dixit pridem:
Clerici non proderunt;

7 b. Augustino praedicante,
Prophetiam iam vocante,
Dignos fructus proferunt.

8 a. Augustinum, decus cleri,
Clerus omnis intueri
Debet tamquam speculum;

8 b. Decor cuius renitentis
Tergit vultum intuentis
Et permundat oculum.

9 a. Cuius vita nos reformat,
Lingua Deo nos conformat,
Qui vocamur clerici,

9 b. Qui iactura sanctitatis
Et antiquae dignitatis
Merebamur proici.

10 a. Ergo laudes demus ei,
Per quem nobis tanta Dei
Promulgatur gratia,

10 b. Ut doctore tanto freti
Mereamur tandem laeti
Caeli frui gloria.

Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Arch. s. Iohannis Boscoducen. s. n. A. — Miss. ms. Tungrense saec. 15. Cod. Hagen. I 10. B. — 10 b, 1 doctori B.

205. De sancto Augustino.

1 a. Exsultet plebs catholica,
Cum regna scandit caelica
Augustinus.

1 b. Laetificat ecclesiam,
Caelestem ornat curiam
Augustinus.

2 a. Ab errorum laqueis
Liberatus,
Piae matris lacrimis
Est renatus
Augustinus.

2 b. Gaudium Ambrosii
Est impletum,
Cum se subdit fidei
Mansuetum
Augustinus.

3 a. Pestem fugat Arrianam,
Destruit Sabellianam
Augustinus.

3 b. Manichaeam pravitatem
Delet, docet veritatem
Augustinus.

4 a. Bellator fortissimus,
Miles invictissimus,
Hostes Christi detegit
Augustinus.

4 b. Clipeus muniminis,
Turris fortitudinis,
Cives suos protegit
Augustinus.

5 a. Imitatus primitivam
patrum formam
Reformare sacram studet
vitae normam
Augustinus.

5 b. Quod terrenis praeponenda
sint divina,
Tam exemplo monet fratres
quam doctrina
Augustinus.

6 a. Novo privilegio
Adhaesit Valerio
In sublimi culmine
Augustinus.

6 b. Faustus victus deficit,
Fortunatum deicit
Publico certamine
Augustinus.

7 a. Universam pellit
Pravorum perfidiam,
Haereses expellit,
Confirmat ecclesiam
Augustinus.

7 b. Corde diligenti
Sacris instat literis,
Novi testamenti
Scrutator et veteris,
Augustinus.

8 a. Mille voluminibus
Et librorum milibus
Distinctis codicibus
Fulget ut sol inter astra
Augustinus.

8 b. Signorum frequentia
Certa dat indicia,
Quanta fulget gloria
Super alta caeli castra
Augustinus.

9 a. Pater laudabilis,
Praesul mirabilis,
Nobis sit placabilis
Augustinus.

9 b. Suam familiam
Per Dei gratiam
Perducat ad patriam
Augustinus.

Miss. Caesaraugustan. imp Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. B. — Brev. Caesaraugustan. imp. Venetiis 1496 C. — 2 a, 4 regnatus A. — 4 a, 1 Zelator A. — 5 a, 3 reformaret A. — 6 b, 1 Fastus AB; devictus C. — 8 a, 4 ut fehlt BC. — 8 b, 4 Super caelis astra BC. — 9 b, 1 Tuam BC.

206. De sancta Barbara.

1. Laus tibi, Christe,
qui res rerum et naturas
ducis et figuras;

2 a. Mirum non miraris,
quod miramur
nos sedulo,

2 b. Quia perscrutaris
renes, corda
in singulo.

3 a. Qui contra gregem
malignum
feminam fragilem

3 b. Ad veram legem
serasti
in mente stabilem.

4 a. Fecit fenestram
in patris iram
Barbara,
superatrix barbarorum,

4 b. Trina fenestra
in trinitate
de Deo
docens fidem beatorum.

5 a. Formulam generis
praeclari dum conderet
turris in arcano,

5 b. Iubilans ad Deum
et latens non latuit
constans corde sano.

6 a. Minarum strepitus
non horruit,
poenarum ictibus
se praebuit,
exsultans in poena,
spernens idola
haec virgo nobilis.

6 b. Hanc tortor addidit
ergastulo,
quam sanam invenit
de stimulo,
angelus pincerna
lucem obtulit
nuntius humilis.

7 a. Haec est filiola,
quae tibi placet,
o patris sapientia,

7 b. Nata discipula
felicissime
ad caeli fausta praedia.

8 a. Patris carnalis
spernens mandata
est patrem caelicum
imitata.

8 b. Nec blandimentis
neque tormentis
a Christo exstitit
segregata.

9 a. Virgineum
latus datum
lampadum flammatis facibus,

9 b. Vim virorum
per cor gratum
tulit virtuosis viribus.

10 a. Pessima crudelitas
tortorum gladio
decus mamillarum
amputabat
pudico corpori,

10 b. Et nuda virginitas
regis perfidio
veste privabatur,
cessit ibi
decus dedecori.

11 a. Sed candens cito
condidit hanc stola,
fuit angelus hic verna.

11 b. Cursu finito
patre decollata,
regna scandit ad aeterna.

12. Rex regum, dives in omnes,
nos salva gubernando
nos cum sancta Barbara,
sanctorum spes et gloria.

Grad. ms. Cranenburgense anni 1340. — Mel.: Laus tibi Christe, qui es creator (Godescalcus Lintpurgensis).

207. De sancta Barbara.

1 a. Ave, fulgens martyr Christi,
Aromatum exstitisti
Summi regis cella.

1 b. Barbara, dum credidisti,
Patris idola sprevisti,
Flagrans Dei stella.

2 a. Castus sponsus te dilexit
Teque sibi sic adnexit,
Ut sis eius socia.

2 b. Domum patris, quam fundasti,
Trina luce illustrasti
Trinitatis gratia.

3 a. Eia, mundum superasti,
Patris iram non curasti
Quaerentis te invenire.

3 b. Figuram tu trinitatis
Patri narras verbis ratis
In praesenti tempore.

4 a. Gaudet nunc turba caelica,
Arma sumit bellica
Virgo puerilis.

4 b. Haec est patris confusio,
Deorum illusio,
Dum certat subtilis.

5 a. Induitur cilicio
Ad carnis detrimentum,
Conspuitur (in) supplicio,
Gratiae augmentum
Suscepit piissimum.

5 b. Karissima haec nobilis
Rosa sine spina,
Castissima nec mobilis,
Ut de Engadina
Vinum est dulcissimum,

6 a. Luce divina
in caritate grata;
Insanus, profanus
Prece nolens carae gnatae
Mite in flagitio.

6 b. Maximiano
[crucianda] tradita,
Haec expoliata,
Discerpta, est praeparata
In Dei servitio.

7 a. Nudata, crine tecta,
Porta recta, lecta, vecta
Ad Uriel,
Quae fit fortiter Ariel
In luctu certaminis.

7 b. Omnibus gratiosa
Rosa, prosa, glosa ora
Et formosa,
Super multas virtuosa
Dono Dei flaminis.

8 a. Pastor mutatus
Tunc in saxum,
Oves fiunt locustae.
Haec fecit Deus
Clamans „Pax sum“,
Qui honeste et iuste
Punit pro excessibus.

8 b. Quatiata,
Multa passa
Firmam tenebat mentem,
Confortata
Pacis massa,
Quae docet Dei gentem
Ire piis gressibus.

9 a. Regi regum copulata,
Postquam virgo copulata;
Cum patris iuvamine

9 b. Sacra pneumatis in unda
Filia suscepit munda
A malo spiramine.

10 a. Tu, virgo, debes Dominum
Reis conciliare
Atque manna caelicum
In fine procurare
Contra robur daemonis.

10 b. Uirgo, in mammis offensa
Deum semper colis
Et in flammis tu immensa
A zabulo doles,
Ebur Salomonis.

11 a. Xristum, virgo, canis laetum,
Qui absterget omnem fletum,
Quae non curas malum metum,
Nos perduc ad eum tecum,
Qui est super sidera.

11 b. Yesse florem invenisti,
Ancorae spei adhaesisti,
Cosmi chaos respuisti,
Calanxiam didicisti,
Quae ducit ad aethera.

12. Zyma Babel aufer laete,
Ne nos prendat Dagon rete,
Qui praesumunt semper de te.
Senem, natum, flamen pete,
Ut festinet ad conductum
Nostrum auferensque luctum,
Ut det ferre pium fructum
Tecum laete post examen,
Fiat, fiat, Amen.

Cod. Wernigeroden. Zu 22 m. saec. 15. — 1 b, 1 Barbara Deo credidisti. — 2 b, 3 Tu trinitatis. — 4 a, 1 Gaudeat. — 6 a, 3 Insanus fanus. — 6 b, 4 Nervis crudis discerpta etc.; stört jede Symmetrie. — 7 a, 1 Nudata trina tecta. — 8 a, 1 sq. Pastor tunc mutatur in. — 8 b, 5 De pacis. — 9 b, 1 Sacra pneuma fit in unda. — 10 a, 2 Reos hic illustrare? unleserlich. — 10 a, 5 robur hamonis. — 10 b, 3 tu mensa. — 10 b, 4 In sabulo solis. — 11 a, 1 carnis letum. — 11 a, 4 ad eius tecum. — 12, 1 aufer nunc lete. — 12, 2 prendet. — 12, 7 det chere pium. — Auch die manchen Emendationen lassen den schrecklich verwilderten Text kaum geniefsbar werden.

208. De sancto Bartholomaeo.

1. Psallat, concinat vox
Eia.

2 a. Sion sancta
Laetabunda
Promat Christo cantica;

2 b. Cleri chorus
Christi totus
Pangat vocis organa;

3 a. Plebs devota
Mente tota
Sumat haec sollemnia;

3 b. Omnis coetus
Rite laetus
Plaudat in laetitia,

4 a. Venerando
Et laudando
Superna magnalia.

4 b. Praesens festum
Omne maestum
Pellat ab ecclesia;

5 a. Quo Bartholomaeus,
Summi Dei servus
Subiit caelestia,

5 b. Sicut orbis totus
Christi morte lotus
Credit fide sobria.

6 a. Iste Christi nomen
Portans verbi lumen
Diffudit in India.

6 b. Per hunc universa
Plebs ibi conversa
Dereliquit idola.

7 a. Astaroth immundus
Quasi verecundus
Amavit silentia;

7 b. Auxit turba poenas
Ferro secans venas,
Quassa fuit victima.

8 a. Berith nondum mutus,
Sed vix tamen tutus
Dat missis indicia;

8 b. Post carnis candorem
Et vestis nitorem
Signa pandit propria:

9 a. „Vox est“, inquit, „quasi tuba,
Mediocris est statura,
Ante lustra quinque facta
Integra sunt sandalia,

9 b. Nasus aequus, nigra coma;
Quae praedico vobis verba,
Iam praenovit arte mira,
Sic mens eius est praescia“.

10 a. Daemon vociferans,
Per turbas properans
Nec sibi moderans
Senatorem nominat.

10 b. Vox apostolica
Confundens hostica
Virtute caelica
Spurcum hinc eliminat.

11 a. Mox regalis filia
Sedata saevitia
Redditur innoxia;

11 b. Astaroth corruerat,
Fidem rex acceperat,
Baal casum fecerat.

12 a. Diri pectus Astriagis
Torquetur invidia
Propter deos furens magis
In sancti supplicia;

12 b. Christi carum condemnavit,
Immittit ferocia,
Diu caesum mox necavit
Colla truncans placida.

13 a. Athleta fortissime,
Nostras voces suscipe
Assumptus in aethera.

13 b. Pietate solita
Te poscentes adiuva
Conscendere supera,

14 a. Ubi Christo perennia
Solvamus praeconia,

14 b. Cui cum patre gloria
Semper est per saecula.

15. Amen dicant omnia.

Tropar. ms. Dertusense saec. 13 in. Cod. Capit. Dertusen. s. n. A. — Miss. ms. Valentin. anni 1417. Cod. Capit. Valentin. s. n. B. — Miss. ms. Valentin. saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. C. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1485. D. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. E. — 1, 1 concina DE; plebs A. — 2b, 1 sq. Clericorum Christi chorus A. —

2b, 2 Christi thorus DE; wahrt freilich reinen Reim, aber derselbe ist oft (2a; 5a; 6a; 9a; 9b; 13b) nicht genau beobachtet. — 3b, 2 Intellectus BC. — 4b, 2 Omnem A. — 5a, 3 Petiit D. — 5b, 1 sq. Cuius verbo docta | Christi pars electa BCD. — 5b, 3 Credidit D. — 6a, 1 numen D (cfr. Note zu 2b, 2). — 7b, 1 Ivit B, Quit et C, Luit D, Fuit E; tuba A. — 7b, 3 Cassa ABCDE. — 8a u. 8b umgestellt E. — 8a, 1 Gerit B; Beerit D. — 8a, 3 missis India BC. — 9a, 1 est eius quasi BCDE. — 11a, 2 Sed data A. — 11b, 3 cassum DE. — 12a, 1 Dirum BCE. — 12b, 2 Immutata BC; Immitti D. — 13b, 2 Reposcentes AB. — 13b, 3 superna B. — 14a, 1 Tibi Christo per omnia DE. — 14b, 2 Semper in saecula BC. — 15 fehlt A; vielleicht späterer Zusatz.

209. De sancto Bartholomaeo.

1a. Laudes Dei filio,
Qui nos ab exsilio
Duxit, celebremus,

1b. Dulcis vocis iubilo
Nos in cordis nubilo
Christo iubilemus.

2a. Qui ditavit hunc patronum,
Tam sollemnem, tam decorum
Celebri memoria,

2b. Huius nobis summi bonum
Et consortium sanctorum
Conferat victoria.

3a. Hic est una nubium
Per caelos volantium,
Dei pluens gratiam,

3b. Hic est lumen Indicum,
Hic est caelum inclitum
Dei narrans gloriam.

4a. Unde, diri quos infecit
Hostis virus, hic refecit
Rore sancti spiritus,

4b. Ut insana gens sanetur,
Profiteri non veretur
Verbum missum caelitus.

5a. Cuius verbi per virtutem
In credentium salutem
Astaroth obmutuit,

5b. Alter horridus aspectu
Daemon palam in conspectu
Gentium apparuit.

6a. Ut hoc viso gens confusa,
Deo suo gens delusa,
Deum verum coleret,

6b. Daemon idem quos ligavit,
Dei servus liberavit,
Qui nos quoque liberet.

7a. Hic, quem verbo praedicavit
Deum verum, adfirmavit
Operis sequentia,

7b. Nam pro Christo promptus mori
Corpus suum dat tortori
Magna cum laetitia.

8a. A quo dure flagellatur,
Decollatur, immolatur
Deo placens hostia;

8b. Pro morte tam gloriosa
Datur merces copiosa,
Sempiterna gaudia.

9a. Ergo nos exaudi, Deus,
Per quem tot Bartholomaeus
Claruit miraculis,

9b. Tuo flatu nos fecunda,
Nos conserva, nos emunda
Scelerum a maculis.

10 a. Da vi tanti nos patroni
Meritis caelestis throni
Simus in praesentia,

10 b. Ubi fons et lux bonorum,
Ubi merces beatorum,
Ubi vera gloria.

Miss. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Mus. Cassovien. s. n. A. — Brev. ms. Francofurtense saec. 15. Cod. Wirceburgen. Mp f 85. B. — Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. C. — 1 b, 2 corde nubilo C, corde iubilo A. — 2 a, 3 memoriam A. — 2 b, 1 Huius BC. — victoriam A. — 3 b, 1 lumen inclitum A. — 4 a, 3 sancto A. — 4 b, 2 non meretur ABC. — 5 a, 3 Ascaroth A. — 5 b, 1 aspectum A. — 5 b, 2 palam cui B; conspectum A. — 6 a, 1 Et hoc A; confisa C. — 6 a, 2 divisa C. — 7 b. 1 Iam pro B. — 8 a, 1 duce B. — 8 b, 1 Pro mente C. — 9 b, 1 Quo flatu A, falsche Initiale. — 10 a und b fehlen C. — 10 a, 1 Da in tanti AB. — 10 a, 3 Ut sumus in A.

210. De sancto Bartholomaeo.

1. Vox sponsae sponsum excitet,
Ut sibi det
Psallere gaudenter.

2 a. Quae nescit dolum,
Sola mater est iustorum;

2 b. Iam digne solum
Laudet regem angelorum.

3 a. Qui destinavit heredem,
Ut servum sanaret,

3 b. Et praeparavit mercedem,
Ut electis daret,

4 a. Et ex Hebraeis
Bartholomaeum
illustrem
Sociavit apostolis,

4 b. Ut novae legis
Dux et auriga
salutem
Daret Indis et barbaris.

5 a. Indiam ingreditur,
Astaroth confunditur,
Tacet nec loquitur.

5 b. Hinc Berith exquiritur,
Qui formam apostoli
Prodit, qua noscitur.

6 a. Barbarus saevit, Indus
fremuit,
. . . .
. . . .
Ut iustum
Ut sanctum
Edaci morsu disperdat
gens effera.

6 b. Mirum, si bestiae dens
hebuit,
Et calor torvae mentis
friguit,
Blanditur,
Sopitur,
Incultus ager salutis
capit semina.

7 a. Fulgent miracula,
Quae per te fiunt,
O patris sapientia;

7 b. Cedunt daemonia
Et a te pereunt,
Cessat idolatria.

8 a. Maurus videtur,
Ne sibi detur
Ultra [id], quod Christo debetur;

8 b. Fides docetur,
Fons exhibetur,
Ut vetus homo renovetur.

9 a. Regni caput inclinatur,
Dum proles regia liberatur;

9 b. Nova mater elevatur,
Tenellus infans lacte cibatur.

10 a. Ut iubet apostolus,
Praesul fit Polemius,
Qui crescit in virtute,
Regna spernit Dei caritate.

10 b. Astries his invidus
In pios fit lividus,
Sanctum decoriari
Iubet et post a se trucidari.

11 a. Corpus defunctum
Fit dignissime sepultum,
Hinc basilica superfultum.

11 b. En, quia rubrum
Christi praeconis indumentum,
Qui dat lassis adiutorium.

12. Regnorum
Rex universorum,
Credentes sancti tui
Fac nosse suffragia
Per infinita saecula.

Grad. ms. S. Mariae Magdalenae Brunsvicen. saec. 13. add. saec. 14/15. Cod. Beverin. 683. A. — Miss. ms. Hildeshemense anni 1505. Cod. Guelfen. 33 (Helm. 30). B. — 2 b, 1 Nam B. — 4 a, 1 Ut B. — 4 a, 4 vocavit apostolum A. — 4 b, 1 Et B. — 6 b, 3 calor totus mentis B. — 7 b, 3 cessant B. — 9 b, 2 lacte nutritur. — 11 b, 3 lassis adiumentum. — „In prima translatione S. Bartholomaei" B.

211. De sancto Benedicto.

1. Inclita
nobis haec dies festa

2 a. Patris nostri
detulit annua

2 b. Benedicti
Domini gratia.

3 a. Cuius amore puer
dereliquit
saeculi gaudia

3 b. In specu tribus annis
macerando
membra tenerrima.

4 a. Nam die quadam
daemonis impias
specie
avis commotas

4 b. Temptationes
superans spinea
vulnera
tractat dumeta.

5 a. Inter miracula,
quae fecit sublimia,
pater praeclarus
puerum
defunctum suscitat.

5 b. Spiritus rabies
immundi pestifera
nutu iubentis
effugit
obsessa corpora.

6 a. Manu posita
parvulum quendam
liberat atra
ab elephantia.

6 b. Urbis moenia
spiritu sancto
iam praedixerat
hoste non casura.

7 a. Hic omnium
iustorum, plenus
spiritu, iugiter
fundat oramina,

7 b. Ut famulis
noxa repulsa
Dominus tribuat
dona perpetua

8. Benedicti gratia.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. A. — Grad. ms. Bobbiense saec. 12. Cod. Taurinen. F IV 18. B. — 1, 2 nobis fehlt B. — 4 b, 2 spineas A. — 6 b, 3 iam fehlt A. — 7 a, 4 fundit B. — 8 gloria B.

212. De sancto Benedicto.

1 a. Reveretur hodie
Canticis laetitiae
Fructus ventris Mariae
Benedictus,

1 b. Cuius lotus sanguine
Mundus est a sanguine,
Natus claro sanguine
Benedictus.

2 a. Vas solidans precibus
Fugit spretis opibus,
Ne pereat laudibus,
Benedictus.

2 b. Hinc in specu latitat,
Quo servire mactitat
Deo, cui militat
Benedictus.

3 a. Sic iustorum omnium
Ob virtutum meritum
Promeruit spiritum
Benedictus.

3 b. Monachorum legifer,
Pastor fit et signifer,
Fulgens vita lucifer,
Benedictus.

4 a. Quis stilus quaeve lingua
Referre quit omnia,
Quae fecit insignia
Benedictus?

4 b. Mortuos resuscitat
Multisque signis micat
In vita et post vitam
Benedictus.

5 a. Nunc regnat sine fine
Cum sanctorum agmine,
Vita, morte, nomine
Benedictus.

5 b. Cuius prece sedula
Mundat omni macula
Nos, qui est in saecula
Benedictus.

Oration. ms. Trudonense saec. 16 in. Cod. Leodien. 395. — Melodie jedenfalls: Plebs devota psallite (s. Anal. IX, Nr. 192.).

213. In Ordinatione s. Bonifatii.

1 a. Laudes Deo, plebs fidelis,
Personare digne velis
Pio cordis iubilo,

1 b. Animeris ad concentus,
Quibus sacer sit intentus
Merso luctus nubilo.

2 a. In praesenti nempe festo
Neuma dignum fervens esto
Promere beatius,

2 b. Quod condigne celebratur,
Ut antistes cordinatur
Sanctus Bonifatius.

3 a. Ex praeclara stirpe fidum
Christi servum hunc Winfridum
Anglia genuerat,

3 b. Qui contempta mundi sorde,
Quem quaesivit toto corde,
Dei cultor fuerat.

4 a. Statu functus regulari
Sancte coepit conversari
Tactus sacris motibus;

4 b. Dilatavit Christi fidem,
Ad quam multos traxit idem
Divis fultos dotibus.

5 a. Bonis factis sic politus
Romam petit, accersitus
Summum per pontificem;

5 b. Quem ministrum et salutis
Papa dignae sic virtutis
Suscipit opificem.

6 a. Qui probatus, qui benignus
Et compertus vere dignus
Omni laude latius,

6 b. Archipraesul hinc est factus
Maguntinus nomen nactus
Inde Bonifatius.

7 a. Quem sic papa consecratum
Donis multis et ditatum
Legat ad Germaniam,

7 b. A culturis idolorum
Quam convertit, et errorum
Adimit vesaniam.

8 a. Sic fidelis iste verna
Multos ducens ad superna
Aeve beatificat;

8 b. Sic athleta fortis Dei
Plures sacras domos ei
Dotat et aedificat.

9 a. Inde multis illustratis
Et in fide solidatis
Frisiam adiverat;

9 b. Quo cum suis trucidatur
Et in caelis coronatur,
Dudum ut cupiverat.

10 a. Sancte pater, hinc nos audi,
Bonifati, tuae laudi
Promptos et memoriae,

10 b. Ut post huius vitam mundi
Sociemur laetabundi
Sempiternae gloriae.

Antiph. ms. Hameleuse saec. 15. Cod. Hannoveran. I 101 a. Mit eigener Mel. — Ebenda eine Sequenz de S. Bonifatio: „Pretiosa mors sanctorum Plenam nobis etc., die inhaltlich de communi ist.

214. De sancta Caecilia.

1. Virgo devota cunctis,

2 a. Fave votis
plebis tuae indignis;

2 b. Tuis festis
promunt munia laudis.

3 a. Tu, casta matrona,
non fabularis
cum incerta persona.

3 b. A gentili sponso
spernis ferali
te donari persona.

4 a. Caecilia,
sponsi summi
subarrhata es annulo
Et angelicae
visionis
splendore coronam clara
meruisti.

4 b. Haec sponsalia
regis magni
signa sunt victricia,
Quibus hodie
redimita
supremis sequeris agnum
candidatum.

5 a. Qui gloriosa sorte *
sua redemit

Mortem amaram, *
usurpabat

*5 b. Iniuste sibi
gentes quae cunctas.

* Tu sobria Christo,
quem mente tua

6 a. Caste portasti, nosmet

6 b. Fac laetare gaudiisque

7. suis mereri.

Cod. Vatican. Palat. (ol. Laurissen.) 833. add. saec. 10. — Titel der Sequenz „Adducentur". — 3 b, 1 A geniali sponso. — 4 a, 6 corona. — 4 b, 1 hat eine Silbe mehr, 4 b, 3 eine weniger als die Parallelzeile; ein gleicher Überschufs ist 5 a, 1 und 5 b, 2.

215. De sancto Castore.

1 a. Sidus, ave, cella mellis,
Mentis tenebras et fellis
Plus purgans, fons optime.

1 b. Lux et opus tu ut stellae,
Castor, pietatis melle
Serenas sic animae.

2 a. More Ioseph Iesu duce
Castor fulsit, ut a luce
De sole puerpera,

2 b. Gignens luna velut solem
Castorem de patre prolem
Luce salutifera.

3 a. Sua, sese Christo dare
Castor coepit et occare
Claris probra moribus.

3 b. Auctum, Maximine, virum
Fama virtuteque mirum
Provehis ordinibus.

4 a. Fit divinis sociatus
Praeco Dei verbi gratus,
Via luxque tenebris.

4 b. Cardonum vir, virgo pudens,
Intrans eremique prudens
Cultor ovat latebris.

5 a. Mercator ei sal dirus
Nauta negat, cui vir mirus
Prece sedat flumina,

5 b. Sacrat quem mox morte caro
Per odoris signo claro
Flagrantis spiramina.

6 a. Gemmam clausit humus sanctam,
Visu pandit lucem tantam
Marcius hanc patribus.

6 b. Viomadus et a lare
Terrae transtulit hanc clare
Proprio cum laudibus.

7 a. Ecce, gleba salutaris
Fulsit signis sacra claris,
Lumen ut a tenebris

7 b. Nos ad te, vera sophia,
Ducat Castor, ubi via,
Lux es, vita celebris.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. — 1 b unverständlich; wohl verderbt. — 6 a, 2 ducem. — 6 b, 1 Vuiomandus.

216. De ss. Cosma et Damiano.

1 a. Rutilantis phoebi ortu
Dies sacra refulget,
In qua sancti martyres
Pro fide dimicantes
Tyrannorum diversa
Vicerunt supplicia.

1 b. Cosmas atque Damianus,
Incliti bellatores,
Parvipendentes omnia
Saeculi blandimenta,
Corpus dabant in mortem,
Adipiscerent ut vitam.

2 a. Laureati coronis
Aetherei splendoris
Modo laeti in caelis
Christum laudant cum angelis,
Qui talem semper suis
Dat coronam testibus.

2 b. Ad horum ossa inclita
Christi nitescit gratia
Aegris praestans varia
Morborum medicamina,
Caecis visum refundens,
Claudis gressum componens.

3. Hinc iam pronis mentibus
Illis preces fundamus,
Ut dignentur nobis Christum
Facere propitium,
Quem amabant, cum quo regnant
Nunc et in perpetuum.

Miss. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 337 b. — 1 a, 2 fulget. — 1 a, 5 Tyranni. — 2 a, 4 Christum collaudant.

217. De ss. Cosma et Damiano.

1 a. Chorus et vox, harmoniae
Novae vita concors piae,
Modulentur in hac die
Vocali concordia.

1 b. Haec est dies celebranda,
Summa laude veneranda
In sanctorum adoranda
Sollemni memoria.

2 a. Christus diem hanc beavit,
Qua patronos coronavit
Et martyrio ditavit
Praesentis ecclesiae.

2 b. Istos habet advocatos,
Quos scit morte laureatos
Et in caelis coronatos
Corona iustitiae.

3 a. Imitentur christiani,
Clerus, plebes et plebani
Cosmae atque Damiani
Miranda vestigia.

3 b. Qui sub flore iuventutis
Petentes ortum salutis
Sacris instant institutis
Praeventi ad gratiam.

4 a. Medicinae artis gnari
Remedio salutari
Consuerunt medicari
Gratis absque praemio.

4 b. Laude florent temporali,
Sed mercede spiritali
Munerantur, triumphali
Gaudentes martyrio.

5 a. In Aegea civitate
Idolorum vanitate
Cedata crudelitate
Coguntur decipere.

5 b. Quorum florem castitatis
Nec vernantis flos aetatis
Nec vis ulla vanitatis
Potuit illudere.

6 a. Flagellati, lapidati,
Sagittati, decollati
Et per multa cruciati
Tormentorum genera.

6 b. Torcularis in pressura
Faex deorsum sed vis pura
In sempiternum mansura
Manavit ad supera.

Miss. Gratianopolitanum imp. Gratianopoli 1532. — 3 a, 3 et Damiani.

218. *De sancto Cyriaco.*

1. Pangamus Christo laudes
voce, simul iubilo,

2 a. Qui natus pro nostra
pati salute voluit,

2 b. Mortuus, sepultus,
surgens ad caelos rediit,

3 a. In semet credentes
sperare
eadem docens gaudia,

3 b. Pro eius amore
si carnis
devincat desideria.

4 a. Hac primum spe incliti
corpora
morti dant apostoli,

4 b. Innumerus martyrum
sequitur
dehinc quos exercitus.

5 a. Micuit
ex his Cyriacus levita,
Qui nobilis
natu, sed fide atque signis
plus spectabilis enituit.

5 b. Nam Caesaris
natam Artemiam sanarat,
Quam spiritus
per multa iam tempora plena
crudeli[tate] vexaverat.

6 a. Tobia, Persarum
regis filia,
morbum compatitur similem.

6 b. Hic sanctus advenit
ac sola verbi
virtute sanam hanc reddidit.

7 a. Sed postquam haec et talia
fecit multa,
tentus cum Largo
et Smaragdo
compellitur
fidem negare catholicam.

7 b. Sed scelus fortis abivit
et perfusus
pice fervida
constans mansit,
tandem caesus
ense victor caelos petiit.

8a. Exaudi, o
Cyriace,
cunctos tua
quaerentes modo
iuvamina.

8b. Nosque Deo,
sancte, tuos
speciali
supplicatione
commenda famulos,

9. Ut post hanc
occiduam vitam
regni caelestis sede
frui valeamus.

Missale Wormatiense imp. s. l. et a. (1522.). — 8b, 1 Hosque. — 8b, 3 sq. supplicatione speciali. — Melodie: Mater.

219. De sancta Dorothea.

1a. Agonista Christi fortis,
Dorothea, (in) hora mortis
Da solamen caelicum.

1b. Castitatis florens rosa,
Prece canit speciosa
Clerus carmen mellicum.

2a. Tu victrix Fabricii,
Te attigit supplicii
Nullus dolor; urget

2b. Hanc, nec prece neque minis
Flecti potest a divinis,
Sed cor eius turget.

3a. Haec triumphat in agone
Firma utens ratione,
Quae virgo constantissima,

3b. Mittit rosas haec notario
Theophilo de viridario
Sub odore gratissima.

4a. Virgo prudens et athleta,
Te subire mente laeta
Mortem non abhorruit,

4b. Ut sis mater clericorum
Et solamen miserorum,
Quorum fames cor aruit.

5a. Diris uncis lacerata,
Dorothea, [virgo] grata,

5b. Carcere taetro allata,
Novem diebus non cibata.

6a. Tu flagellis verberata
Demum exstas decollata
Ob argumenta fidei.

6b. Ergo, martyr Dorothea,
Cor in nobis mundum crea
Ad aeterna provehi.

Miss. ms. Glogaviense saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 370. — 1b, 2 l. Pro te canit? — 3b, 2 Theophili. — 4b, 1 Ut sit. — 6b, 2 munda.

220. De sancta Dorothea.

1. Ave praeclara Dorothea,
A labis scoria nos bea
Puram mentem crea.

2a. Euge, desponsata
Christo, beata
Senatorum nata,
Stirpe clara propagata,
Dorotheo patre,
Theodora matre.

2b. Virgo Nazarea,
Urbs Caesarea
Te gignit, fetaris
Pneumate, dum baptizaris,
Azmina limaris,
Cor sincerum paris.

3a. Te plenam fide
Fabricius urget dire,
Gazas spondet immensas,
Ut thori socia
Adores idola.

3b. Tu, lignum vitae,
Parvipendis gazas rite
Velut fimum praefecti,
Spernis conubia
Christo subarrhata.

4a. Te agnum regem
Praeses trux confitentem
Tradit dolio,
Ferventi oleo
Exsultas tamquam balsamo
Sis peruncta.

4b. Tu nec furentem
Paves nec blandientem
Curas, miraclum
Astantum lustravit
Mentes, errore penitus
Expiavit.

5a. Hinc gentium
Multi gentilium
Convertuntur
Ad Dei filium,
Ex praestigio
Praeses hoc putans
Ergastulo recludi
Te iubet, custodiri
Abs alimentis,
Novenariis
Diebus educaris
Ab angelis.

5b. Hinc manna verum
Libas in tenebris
Ac caelitus
Pie consolaris;
Communionis
Esum da nobis,
Dum mortis instat hora,
Confessique contriti,
Christo nutriti,
Transferamur ad
Alta trabeatorum
Consortia.

6a. Fac fontem Christum
Te conservantem
E carcere ductam
Nos salvare.
Venustam te spectans
Pro tribunalique
Iubet impius
In eculeo
Te praeses exustari.

6b. Fac igni sancto
Idolo fuso,
Audito clamore:
Cur nos vastas
Insolito more?
Paganorum multis
Ad Christum versis
Per poenas facis
Hos caelo propinquari.

7a. Audi nos,
Uncis, scopis que
Virgis, flagris torqueris.

7b. Salva nos,
virgo, mamillis
Faculis adoleris.

8a. Da fontem, Christo germanas
Adiungens fuste caederis,
Munde respicere.

8b. Quo hausto plecti capite
Iuberis, rosas malaque
Mandas dirigere.

9. Christianismi
Fidem corroboras
Exorando
Pro invocantibus;
Ex huius incolatu
Saeculi fac nos
Ad te transire.

Miss. ms. Iaurinense anni 1476. Cod. Capit. Iaurinen. 539. A. — Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. B. — 1, 2 A fehlt B. — 2a, 4 Insigni stirpe A. — 2a, 5 sq. umgestellt A. — 2b, 1 Virgo mitis, pia A. — 2b, 4 Pneumate, lympha baptizaris A. — 3b, 1 Te A. — 3b, 3 Velud fumum A. — 4a, 2 Praeses mox A. — 4a, 3 Trucidat doleo A. — 4a, 6 Esses peruncta A; Sis uncta B. — 4b, 3 miraculum AB. — 4b, 4 Astantium lustrat B. — 4b, 5 errores B. — 4b, 6 Intus pavit A. — 5a, 4 Colentes Dominum A. — 5a, 8 Te fehlt B. — 5a, 11 Educans A. — 5b, 5 Nobis quaesumus A. — 5b, 6 Esum hunc praesta A. — 5b, 8 Confessi contritique B. — 5b, 9 Ipso nutriti A. — 5b, 10 Perducamur A. — 6a, 4 Nos salvare cum sincera fide A. — 6a, 5 Venusta spectans A. — 6a, 6 que fehlt A. — 6a, 7 impius fehlt A. — 6a, 8 In fehlt A. — 6a, 9 speculari A. — 6b, 2 Idola B; concusso A. — 6b, 6 Paganorum milibus B; Milibus paganorum A. — 6b, 8 sq. Mundis labiis cordeque propinquare A. — 7a, 2 scopis B: fiscinulis A. — 7a, 3 Flagellis A. — 7b, 3 Faculisque A. — 8a, 1 Christum B. — 8a, 2 Adiunges A. — 8b, 3 Mittis Theophilo B. — 9, 2 corroborans B. — 9, 3 Exorans B. — 9, 4 Pro te B. — 9, 6 Saecli B. — Melodie: Ave, praeclara maris stella.

221. De sancta Elisabeth.

1 a. Decorata novo flore
Christum mente, votis, ore
Collaudet ecclesia;

1 b. Nova nobis lux illuxit,
Nova stella, quam produxit,
Nobilis Hungaria.

2 a. Elisabeth, stirps regalis,
Victis huius mundi malis
Migravit ad gaudia;

2 b. Illa quondam habens ratum
Velle patris et mandatum
Contraxit sponsalia.

3 a. Viro semper sic servivit,
Quod plus Christum concupivit
Quam carnis commercia;

3 b. Hoc defuncto tandem dote
Spoliata liti motae
Cessit, vendens omnia.

4 a. Aegros inde procuravit,
Nudis vestes erogavit
Quasi Dorcas altera;

4 b. Nocte stratum flens rigavit,
Eius carnem maceravit
Vestis pilis aspera.

5 a. Vitae cursum sic peregit,
Quod cum Christo modo degit
In aeterna gloria,

5 b. Pro qua Christus condescendit
Nobis, quibus nunc impendit
Multa beneficia.

6. Deo sit igitur,
Quo duce regitur
Praesens ecclesia,
Laus, honor, virtus et gloria.

Grad. ms. Strahoviense H O 1. saec. 16. A. — Miss. Praemonstrat. imp. Parisiis 1578. B. — Ohne Mel. A. —

222. In Translatione s. Elisabeth.

1. Viduae virtuti canat,
psallat plebs christiana.

2 a. Polum, tellus, maria
Plaudent, et, Ungaria,
Simul ovans esto
In hoc festo.

2 b. Ex te proles exiit,
De qua salus prodiit
In hoc orbe multis
Fide fultis.

3a. Dic nobis suavis
De symphonia avis.
Prompsit voce tam iucunda,
Quod cecini mente
laetabunda.

3b. Dic, dic, quid vidisti
Post fletum, quod risisti?
Summe bonum cernens clare
Risi, non videns
flevi amare.

4a. O sancta Elisabeth,
Ipsum, qui omnia habet
Suo pugillo
Fixo sigillo,

4b. Qui portas mortis contrivit
Et regnat et vivit,
In omni hora
Pro nobis ora.

Miss. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselian. M. theol. Fol. 120a. A. — Miss. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselian. M. theol. Fol. 132. B. — 1, 1 virtute cana AB; l. virtute canae? — 2b, 3 In hac AB. — 4b, 1 Qui partes B. — Melodie offenbar: Victimae paschali.

223. De sancta Engratia.

1a. Gratuletur urbs Amoena,
Et exsurgat vox amoena
In laudes Engratiae.

1b. Donis plena non angusta
Refulget Caesaraugusta
Dono amplo gratiae.

2a. Rosa florens inter spinas,
Virgo o Engratia,
Quae spernis ducum ruinas
Et horum solacia;

2b. Te puellam generosam
Sequitur Lupercius,
Quam concernens virtuosam
Astabat sollertius.

3a. Ad tuum forte certamen
Currebat militia,
Quorum robur et conamen
Angebat iustitia.

3b. Hi sunt viri triumphantes
In hostili agmine
Et mire agonizantes
Pro Christi solamine.

4a. Hostes laxantur profani,
Dum necantur christiani,
Nec est certa copia;

4b. Ampliatur Iesu clerus,
Conturbatur princeps ferus
Ex posse inopia.

5a. Gloria Deo cantatur,
In excelsis intonatur
Dulci modulamine.

5b. Idola vana prostrantur,
Martyres sanctificantur
Supernali lumine.

6a. Ergo gaude, plebs devota,
Nec sit tua mens in rota
Huius orbis flebilis,

6b. Sed emitte cor in sursum,
Ne te premat dolor rursum
Atque mundus debilis.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraug. 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae, 1498. B. —

224. De sancto Erasmo.

1a. Sancto Erasmo
Psallat laetus iste coetus
Alleluia,

1b. Quem perfudit
Primo flore, laeto more,
Lux divina.

2a. Praesul signis claruit,
Quia pure coluit
Creatorem.

2b. Karolus quod fregerat,
Prece munda reparat
Ad vigorem.

3 a. Ad desertum evolat,
Nudus crucem baiulat
Salvatoris;

3 b. Ibi carnem macerat,
Ibi pugna superat
Vim ardoris.

4 a. Cum sic Christo militat,
Capadociam intrat
Ad aeterna.

4 b. Quibus ipse voluit,
Apta bona petiit
Ter quaterna.

5 a. Eia, pater pauperum,
Noxas dele scelerum,
Ignem quod tartareum
Evadamus.

5 b. Tuis fer auxilium,
Ut nos post exsilium
Tecum Dei filium
Videamus.

6 a. Ora pro tuorum
Statu filiorum
In conspectu
summi regis,

6 b. Ut nos a peccatis
Mundans perpetratis
Donet esse
dextrae gregis.

Miss. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. 354. — Melodie natürlich: Laetabundus.

225. De sancta Eulalia.

1 a. Sit laus plena,
Sit amoena,
Psallens Deo
Pro tropaeo
Martyris Eulaliae.

1 b. Mens sincera,
Fides vera
Ditant, mundant,
Cor fecundant
Virginis eximiae.

2 a. Sponsa laeta
Christo freta
Legi credit
Et oboedit
Plasmatoris omnium.

2 b. Cunctam fortis
Poenam mortis
Nec profani
Daciani
Timet tirocinium.

3 a. Sprevit mundum,
Hunc immundum,
Subit bella,
Fert flagella,
Superat eculeum.

3 b. Dum in cruce
Pendet truce,
Christum orat
Et implorat,
Globum vincit igeum.


4 a. Virgo recta,
Nive tecta,
Ad beatum
Transit statum
In columbae specie.

4 b. Cum de fossa
Trahunt ossa,
Adgravantur
Nec cremantur,
Pandunt vim fragrantiae.

5 a. Urbs patrona
Barcinona
Semper gaude
Digna laude
Possidens Eulaliam;

5 b. Quae languentem
Sanet gentem
Nos conducens
Et adducens
Ad sanctorum gloriam.

Brev. ms. Praedicatorum Hispan. saec. 15. Cod. Scorialen. a III 3. — Es heifst dort ausdrücklich: „Prosa in Missa“.



226. De sancta Euphemia.

1 a. Pace, virgo, sancta pasce
Nos, ut sacrosancti Paschae
Pascamur deliciis.

1 b. Compesce pestes, reatus,
Ut sit honor Deo gratus
Nostris de primitiis.

2 a. Piscis assi manducasti
Segma, quando degustasti
Passionis poculum.

2 b. Posce nobis posse stare,
Virtuosum purga clare
Nostrae mentis oculum.

3 a. Pusillanimes conforta,
Tua namque vita torta
Multis est suppliciis;

3 b. Quae pro tuo sponso vere
Voluisti sustinere
Eiusque divitiis.

4 a. Per capillos es suspensa,
Tibi luxit spes immensa
Domini de gratia,

4 b. Qui te fortem animabat
Et in bono confortabat
Tibi dans solacia.

5 a. Famelica virgo pia,
Satiaris, Euphemia,
Per angelos caelitus.

5 b. Post haec mitteris ad ursos,
Quorum te non tangit morsus
Nec angit anhelitus.

6 a. O beata virgo, grata
Deo, gladio necata,
Locum tui lateris

6 b. Qui transivit, ut sitivit
Tua vita, quae petivit
Caelum mox, sic pateris.

7 a. Priscus et Apellianus
Ruunt daemonis in manus,
Quos statim extinxerat.

7 b. Hinc puella tumulatur,
Iustis gratia donatur,
Quos amor astrinxerat.

8 a. Eia, virgo, nos tuere,
Confer, caelum ut sincere
Valeamus scandere.

8 b. Ora Deum, ut praedignum
Sui vultum et benignum
Nobis velit pandere.

Miss. ms. S. Mariae Magdalenae Brunswicen. saec. 14. Cod Beverin. 681. Mit Melodie.

227. De sancto Eusebio.

1 a. Arnhem gaudeat ab intra,
Siti circumquaque iuxta
Exstent toti iubili

1 b. De tam nobili collato
Illis praemio, delato
Corpore Eusebii.

2 a. Orthodoxa fide plenus,
Paganismo alienus,
Zeli tactus iaculo,

2 b. Sic moratus est in mora
Sanctitatis omni hora
Abnuendo saeculo.

3 a. Videns eius facultatem
Stipes dabat, libertatem
Malens aeternaliter.

3 b. Confessorum vixit norma
Post triumphat recta forma
Martyrum aequaliter.

4 a. Suo die nationis
Vestit Caesar se leonis
Vellere Aurelius,

4 b. Ut est leo rex ferarum
Dictus, sic creaturarum
Optans dici dominus.

5 a. Iste Romam convocavit,
Herculi turificavit;
Sectam hanc Eusebius,

5 b. Dei martyr, confutavit,
Christi fidem praedicavit
Omnibus fidelibus,

6 a. Docens paenitentiam,
Pellens idolatriam
Deum adorabat.

7 a. Miles hic cum sociis
Penditur eculeis,
Nervis flagellatur;

8 a. Huius sancti latus ustum
Servat angelus inustum;
Antoninus credidit

9 a. Tunc amicus deitatis
Est mactatus cum plumbatis,
Quem mox caelum rapuit.

10 a. Mutis linguam reseravit,
Claudis gressum reparavit
Dei medicamine.

11 a. Cancros atque plures pestes
Sanat, exstant multi testes,
Multis dat remedia.

6 b. Prosunt sancta dogmata
Pluribus proposita,
Iulium salvabat.

7 b. Huic poenae gaudio,
Cui Dei visio,
Dum fustigabatur.

8 b. Linguam hinc abscissam esse,
Passus nil potest prodesse,
Quin et laudes reddidit.

9 b. Nunc in terris fulget signis,
Dat vexatis a malignis
Opem, quod El placuit.

10 b. Maris undas quietavit,
Mares plures hic servavit
Maris a disturbine.

11 b. Ergo nobis sis, patrone,
Asta, bone, in agone,
Duc nos ad caelestia.

Append. ms. saec. 16. in Miss. Bursfelden. imp. Hagenoie 1518. — 1 a, 3 toto. — 1 b, 2 Illic primi a delata. — 1 b, 3 corporis. — 2 a, 1 pleni. — 2 a, 2 alieni. — 2 a, 3 tacti. — 11 b, 3 Duc nobis.

228. De ss. Fabiano et Sebastiano.

1 a. Praesul sancte Fabiane,
Qui curasti nec inane,
Fidem ut extolleres.

2 a. Athletarum, quos haud parum
Sparsos more, en, cruore
Microcosmos recolat.

3 a. Tua pura prece cura,
Quod septena dona plena
Ruant, fluant largius;
Dies enim festivus agitur,
In quo plene votum admittitur
In tui memoriam.

4 a. Ad quam tende, o, perpende
Tota mente ac repente
Anhela quantocius;

5 a. O instructe tiro Christi,
Potens, vincens, necnon scisti
In calle certantium

6 a. Sub figura decusasti
Fidem tuam, sic celasti
Sane, Sebastiane;

1 b. Tu legasti, congestasti
Scribas septem, nec ineptam
Necem ut colligeres

2 b. Interpella sic, procella
Saevi maris, tuearis,
Ne nos forte impetat.

3 b. In agone, passione
Roborati sumus rati,
Iucundemur laetius;
Dum e corde spiritus mittitur,
Absque sorde iter nanciscitur
Ad aeternam gloriam.

4 b. Nam in ea simul laeta
Vita datur absque meta
Cunctis evidentius.

5 b. Ire vere te sincere
Consulari, militari
Chlamide bellantium.

6 b. Vernas Christi tu solaris,
Verbis caris sic adfaris:
Dimicent constantius.

7 a. Fratres binos roborasti,
Quos in fide solidasti,
Spernant ut ardentius

7 b. Blandimenta mundi, rerum
Conditorem, caeli erum
Clarius conspiciant.

8 a. Fac, mortales ut stent rati,
Fide firmi roborati,
Bravium percipiant.

8 b. Tu loquelam reddidisti,
Zoe virum decrevisti
Taliter convertere,

9 a. Tunc praefectum Romae primum,
Gnatum suum post supinum
Toto nisu absque risu
Ad fidem perducere.

9 b. O dilecte martyr Christi,
Corpus tuum subiecisti,
Perquam mire tu vicisti
Poenarum certamina.

10 a. Tu nos cura tua prece,
Mundi simus ut a faece,
Tuos, neos, serva, ne nos
Tangant, frangant fulmina.

10 b. Rursum praesta, nobis asta,
Ne nos restis, mala pestis
Cingat, tingat et astringat
Acrius in inguine.

11 a. Sicque lota mente tota
Iesum Christum te et istum
Veneremur, cum tenemur
Haud ingrati, ne privati
Simus eius sanguine.

11 b. Fac, ut vales, nos mortales
Erigamur, rapiamur,
Trinum unum, summum bonum
Intuamur, contemplamur
In perenni lumine.

Grad. ms. S. Elisabethae. Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesici Fol. I 40 c. — 1 b, 2 l. inepte? — 7b, 3 Clarius conspicavit. — Melodie: Laudes crucis. — Die Schlufszeilen der korrespondierenden Halbstrophen reimen; Str. 6 sqq. machen hiervon eine Ausnahme, jedoch so, dafs die korrespondierende Halbstrophe zur Schlufszeile der nächsten Halbstrophe reimt, nämlich 6 b mit 7 a, 7 b mit 8 a u. s. f.

229. De sancta Felicitate.

1. Hunc laeti diem cuncti
rite venerantur populi,

2 a. Quem fore felicem
sancta fecit Felicitas,

2 b. Pignorum septeno
martyrizata numero.

3 a. Nam septem praemissis
octava
fit cruciata filiis,

3 b. Maternos perpessa
dolores
singulorum martyrio.

4 a. Primus Ianuarius
plumbatis
plagatus oppetiit;

4 b. Felix atrocissimis
cum Philippo
mactatur fustibus.

5 a. Silanus
per praecipitium
occubuit;
Alexander
cum Vitale simul addito
Martiale decollati sunt.

5 b. Constanter
illorum genetrix
sanctissima,
Tot dolores
passa animo, novissime
corporaliter occiditur.

6 a. Ex his Alexandrum,
florem nitidum
gemmamque pretiosissimam,

6 b. Dulcem margaritam,
dignis laudibus
tota Germania celebrat.

7 a. Divina quem benignitas
de Romana
sede nostrae salvationi
transmiserat
his Alemannicis partibus.

7 b. Hic multis miraculorum
fulgens signis
salutifera solet clarus
solamina
suis ostendere civibus.

8 a. O decus, o
nostra salus,
o martyrum
tu venustissime
florens floscule,

8 b. Cum fratribus
et cum matre
Felicitate
perennem implora
beatitudinem.

9. Qui tibi
servimus in terris,
tuis precibus in caelis
sis fautor nobis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Grad. ms. Vercellense saec. 11. Cod. Capit. Vercellen. CLXI. B. — 3 a, 2 sit. B. — 4 a, 2 plumbatus B. — 5 a, 5 addicto B. — 5 b, 2 sq. sanctissima genetrix AB. — 5 b, 4 sq. Tot passa dolores B. — 6 a, 1 Ex istis Felicem B. — 6 a, 2 flora B. — 6 a, 3 gemmaque pretiosum B. — 6 b, 3 tota Italia celebret B. — 7 a, 4 salvationis B. — 7 a, 6 istis Italicis partibus B. — 7 b, 1 sq. fulgens miraculorum signis AB. — 7 b, 4 sed et clarus B. — 7 b, 6 ostenderet B. — 8 a, 1 O Deus (o fehlt) B. — 8 a, 4 tu fehlt B. — 8 a, 5 flos floscule. — 8 b, 4 implorato A; implorat B. — Melodie: Mater.

230. De sancta Felicitate.

1 a. Regi regnum iubilantes
Laudes demus exsultantes
Debitas martyribus,

1 b. Qui pro Christo trucidati
Nunc ab ipso coronati
Gaudent in caelestibus.

2 a. Hos per vias diversorum
Iubet ire tormentorum
Ferox praeses Publius.

2 b. Hinc plumbatis dire caesus
Mortem subit sed illaesus
Fide Ianuarius.

3 a. Inde Felix et Philippus
Fustium ferentes ictus
Offerunt se Domino.

3 b. Iubet iudex hinc profanus,
Morti cedat ut Silanus
Datus praecipitio.

4 a. Praesentati Martialis,
Alexander et Vitalis
Mortem gustant gladio.

4 b. Quos Felicitas mactatos
Mater sancta sanctos natos
Sequitur martyrio.

5 a. Ergo tantos veneremur
Christi testes et precemur
Nos ipsorum precibus

5 b. Regi summo commendari
Et laetanter adgregari
Sanctis in caelestibus.

Grad. ms. S. Alexandri Embecen. saec. 14. Cod. Gotingan. 241. — 4 a, 2 Alexandri. — In der Hs. ist die Sequenz für das Fest des h. Alexander verwertet.

231. De ss. Ferreolo et Ferrutio.

1 a. Pangat chorus alternatim
clara modulamina,

1 b. Absit ut diaphonia,
concors sit melodia.

2 a. Odas solvat et decenter
nostra vox harmonica

2 b. Summo regi, qui beatos
doxa donat caelica.

3 a. Cui Ferreolus servivit
verus ut christicola

3 b. Et Ferrutius levita
parili constantia.

4 a. Veritatis quod fuere
testes sine macula,

4 b. Hos Aureliani iussit
puniri saevitia.

5 a. Actibus ut impleretur
iussio tyrannica,

5 b. Variis protraxit poenis
gens illos maniaca.

6 a. Ungulis sulcatae carni
affuit mastigia,

6 b. Hinc remoti distrahuntur
tirones ad troclea.

7 a. Malleis infixae cingunt
subulae post capita,

7 b. Tuncque magis disserebant
de fide catolica.

8 a. Mirum, quod non siluere
divina magnalia,

8 b. Lingua sunt evacuati
postquam sermonis sua.

9 a. Sibilat tyrannus stridens
dentibus ut vipera,

9 b. Incitat crudeli victus
colla caedi romphea.

10 a. Imperterritis athletis
poena datur ultima,

10 b. Flexo genu sursum corda
caelo dant spiramina.

11 a. Gaudet polus angelorum,
sonant et tripudia,

11 b. Compta gemmis hisque binis
exsultat Bisontia.

12. Horum precibus muniti
vivamus per saecula.

Grad. ms. Bisuntinum saec. 11. Cod. Borgian. M VI 27. — 6 b, 1 distuluntur. — 6 b, 2 ut troclea. — 8 b, 2 sermonis lua.

232. De sancto Florino.

1 a. Florinus amabilis,
Sacerdos laudabilis
Sanctitatis gloria,

1 b. Fulget in caelestibus
Cum sanctorum coetibus
Peracta victoria.

2 a. Ibi summa trinitas,
Indivisa unitas
Consolatur omnia.

2 b. Huius praedicatio,
Huius operatio
Sit salutis nuntia,

2 c. Terrena despicere
Docens et acquirere
Paradisi gaudia.

3 a. Exstitit pro speculo,
Dum vixit in saeculo,
Huius Deo placita
Vita est intuita.

3 b. Fugans idolatriam
Emundavit patriam,
Ampla Rheni spatia
Perlustravit gratia.

4 a. Nil terrenum ambiebat,
Quia vere diligebat
Iesum super omnia;

4 b. Apud ipsum obtinere
Velit, ut possimus flere,
Quod mens timet conscia.

5 a. Claris signis decoratur
Locus, in quo veneratur
Operum per merita;

5 b. Daemonia fugat iste,
Haec concedis sibi, Christe,
Semper esse subdita.

6 a. Veneremur hunc patronum
Obtinentem caeli thronum,
Qui nobis beneficia
Largitur in laetitia.

6 b. Huius gaudet praesentia
Nobilis Confluentia,
Qui ut rosa vel lilia
Redolet in ecclesia.

7 a. O Florine, florens rosa,
Te decet laus numerosa,
Tu nos Christo die isto
Clementer concilia.

7 b. Vir antiquae dignitatis,
Ora fontem pietatis,
Ut nos omnes a peccatis
Mundet data venia.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498 A. — Miss. Trevirense imp. absq. B. — 7a, 2 laus innumerosa A. — Melodie: Mane prima sabbatti.

233. De Stigmatibus s. Francisci.

1 a. Corda pia inflammantur,
Dum Francisci celebrantur
Stigmata insignia.

1 b. Crucifixus hic secundus,
Crucifixus fuit mundus
Huic et mundi gloria.

2 a. Crucifixi primi Christi
Mors et vita fuit isti
Iugis meditatio,

2 b. Cuius cordis vim fervoris
Ostendit per membra foris
Stigmatum impressio.

3 a. Foris lucet, intus ardet,
Ut se cunctis exemplar det
Quaerendi caelestia.

3 b. Ordo monstrat haec Minorum,
Sanctae Clarae sic sororum
Et de paenitentia.

4 a. Crucifixe singulari
Modo, cruci conformari
Mente sic et habitu

4 b. Fac nos, ut in regno lucis
Perfruamur fructu crucis,
Quo laetaris frui tu.

Miss. ms. S. Francisci Assisien. saec. 14. Cod. Assisien. 267 (ol. I. 226).

234. De sancto Frontone.

1 a. Petrus petra derivatur,
Petra Christus, qua fundatur
Stabilis ecclesia.

1 b. Petrae nomen ampliatur,
Cum per Petrum dilatatur
Trinitatis gloria.

2 a. Petra primum piscatorem
Romam mittit, ut errorem
Pellat et inania.

2 b. Petrum primum correctorem
Roma tenet et pastorem,
Servet ut ovilia.

3 a. Petrus ad Petragorarum
Terram, gurgitem petrarum
Ex earum copia,

3 b. Fratrem mittit sibi carum,
Molliatur ut illarum
Gentium duritia.

4 a. Hic est Fronto mordens mortem;
Fortior qui fugat fortem,
Mortis aufert spolia.

4 b. Nam Georgium consortem
Supra consuetam sortem
Trahit ad sublimia.

5 a. Chananaeae comparata
Per Frontonem fit sanata
Senatoris filia.

5 b. Visione duplicata
Timet cutis vulnerata,
Congregat concilia.

6 a. Onerantur mox cameli
Properantes et anheli
Deferunt cibaria;

6 b. Christi famulo fideli
Solo ducti duce caeli
Redit pars dimidia.

7 a. Videns Squirius turbatur,
Fidem petit, fides datur,
Sordet idolatria,

7 b. Nomen mutat et mutatur
In baptismo, renovatur
Tota simul patria.

8 a. Mira res, dum celebratur
Missa, praesul soporatur
Hora lucis tertia;

8 b. Tarrasconum properatur,
Christus illum comitatur,
Celebrant funebria.

9 a. Apud istos absens mansit,
Apud illos manens transit,
Manet in absentia.

9 b. Extra corpus praesul an sit,
Chirotheca cum remansit,
Dei scit scientia.

10 a. Tu nobiscum, pastor, mane,
Tuas oves sero mane
Protegat praesentia;

10 b. Esto tuae dux urbanae
Plebis, per te christianae,
Praesul ac custodia.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 1 a, 1 dirivatur. Vgl. Acta SS. Bolland. Octob. XI, 466.

235. De sancto Frontone.

1 a. Ad honorem salvatoris
Laudes vocibus canoris
Frontonis divisis choris
Praesens pangat curia.

1 b. Hic caelitus aspiratus,
Discipulis adgregatus
Baptismique Deo gratus
Suscipit mysteria.

2 a. Salve, Fronto, praesul Christi,
Cuius dilectus fuisti,
Constans fide recepisti
Optionis gratiam.

2 b. Salve, qui nos decorasti,
Quando munus impetrasti,
Ne degamus, exsulasti,
Unquam extra patriam.

3 a. Salve, cuius sumus curae,
Qui fuisti sepulturae
Marthae contra ius naturae
Raptus ad caelestia.

3 b. Imploramus, reverende
Pastor, precibus intende
Nostris et Iesum ostende
In superna gloria.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — 1 b, 1 Hic solitus. — 2 b, 3 exsulati. — Melodie offenbar: Verbum bonum.

236. De sancto Gabriele.

1 a. Decantemus Gabrieli
Melos et pangamus ei
. . . .
In hymnis harmonicis.

1 b. Ipse astat creatori,
Deservit secretiori
Famulatu, ampliori,
Angelis prae ceteris.

2 a. Committitur Gabrieli
singulari titulo
Nuntiare incarnandum
filium ex virgine,

2 b. Quem natum denuntiavit
ingenti cum radio,
Cum angelis decantando
„Gloria in aethere“.

3 a. Curam gerit nati verbi,
ut Herodem fugiat,
Ne ad ipsum revertantur,
magos reges admonet.

3 b. Reverenter consolatur
Iesum, cum agonizat,
Sudoremque detergendo
conversum in sanguinem.

4 a. Per hunc Christum surrexisse
Mariae innotuit,
Ut pergant in Gallilaeam
fratresque admonuit.

4 b. Iesum caelos ascendisse
Gallilaeos astruit,
Quem sic iudicem venturum
testatus asseruit.

5 a. Gabriel, tu praecursorem
Zachariae indicis
Gaudiumque universo
mundo lapso asseris.

5 b. Tu assistens maiestati
divinae in superis,
Supplica, expostulamus,
pro nostris angustiis.

6 a. Patronum te assumpsimus,
nobis quoque subveni,
Ne ab hoste devincamur,
fac, cura pervigili.

6 b. Ut, qui festa tuae laudis
devoti peragimus,
Conregnemus te ductore
in patria sublimi.

Miss. ms. S. Petri Moissiacens. saec. 15. Cod. Tolosan. 106. — 5 a, 2 indidis. — 6 b, 2 fehlt der Reim.

237. De sancto Genesio.

1. Laeta

2 a. Mente annua
celebremus sollemnia
martyris
huius atque
sacrata
iubilemus praeconia,

2 b. Quem Domino
caeli patet egregius
merito
virtutibus
et omni
placere civi caelesti.

3 a. Cuius haec ecclesia
rutilat
miraculorum
exhibitionibus
iugiter
per saecla laudabiliter.

3 b. Caeci hic visum capiunt,
languidi
sani recedunt,
surdis auditus datur,
omnisque
tribulatio sedatur.

4 a. Hunc defensorem
nobis de Iero-
solymorum
partibus
misit Dei filius

4 b. Et hanc patriam
tali voluit
sub patrono
tueri
et ab hoste muniri.

5 a. Quam pretiosus
est iste martyr
sanctus Genesius,
cuius festa
celebramus hodie!

5 b. Per quem Deus nobis
nova semper
atque gloriosa
praestat suis
prodigia servulis.

6 a. Nos eius meritis
Dominus
liberet
omnibus a malis.

6 b. Ipsius et precibus
veniam
consequi
credimus posse culparum.

7 a. Iam famulos tui
hospitii,
hospes transmarine,
solita
pietate conserva

7 b. Et beneficia
fidelibus
populis da clemens
hac die,
sancte martyr Genesi.

8. Ut una gaudentes
sint semper festa colentes.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 7 a, 1 sq. hospitii tui. — Melodie: Hypodiaconcissa, doch des öftern nachlässig gebaut.

238. De sancto Georgio.

1. Laudes Domino concinamus
eiusque omnibus sanctis,

2 a. Ex quibus hanc diem
sacravit
sanguine fuso

2 b. Georgius, Christi
secutor
et agonista.

3 a. Qui passus est
sub Daciano
imperatore cruento,

3 b. Eculeo
extensus, ungulis
membratim laceratus,

4 a. Exustus per latera
lampadibus, exin
carceratus
atque caesus.

4 b. Venenum potaverat
convertit et magum
martyremque
misit astris.

5 a. Impavidus
sartaginem
plumbo ferventem
insiliit
et pausavit.

5 b. Impositus
in aeneam
rotam illaesus
comminuit
et abivit.

6 a. Redacta sunt in pulverem
idola,
Ignis de caelo
ussit idolum,
ac terra
absorbuit idolatras
ex militis
fusa prece.

6 b. Post haec occisus migravit
ad Deum.
O iuncte choris
athleta martyrum,
cum cunctis
supernis civibus ora
pro populo
christiano,

7. Et paenitentibus
in caelis veniam
precare apud Deum.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Miss. ms. Augiense anni 1445. Cod. Heidelbergen. Salemit. VII 111. B. — Miss. ms. Fabariense saec. 13. Cod. Archivi Sangallen. VI. add. saec. 15. C. — Miss. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 337 b. D.

2 a, 3 sanguine suo BCD. — 3 a, 2 sq. schlecht gebaut. — 4 a, 2 sq. et incarceratus BD; et maceratus C. — 5 a, 5 ac B; pulsavit D. — 5 b, 5 ac B. — 6 a, 5 et B. — 6 b, 2 ad Dominum B. — 6 b, 3 Coniunctus D. — 6 b, 7 pro fehlt D. — 7, 1 Babenbergensibus (Korrektur) A; vielleicht stand hier Et Augiensibus; Et te laudantibus D. — 7, 2 incolis A; hodie veniam D. — Melodie Concordia.

239. De sancto Georgio.

1. Exsulta, Sion,
civitas sancta,
auro pulchra,
gemmis adornata,

2 a. Stellis insignita,
claro lumine splendida;

2 b. Thronus alti regis,
summi solium principis,

3 a. In quo cum Christo beatae
festivantur animae,

3 b. Et angelorum iucunda
gratulantur agmina;

4 a. Mater electa
Christi, Maria,
dilecto
regnat coniuncta filio;

4 b. Apostolorum
chori laetantur,
martyrum,
confessorum et virginum.

5 a. Quos inter gloriosus
Christi miles emicat
sanctus Georgius,

5 b. Qui longa passione
dimicando martyrum
meruit dux esse.

6 a. Tyranno confluunt,
ecce, reges,
duces et populi
multiplices;
agnorum,
taurorum,
milia mactat
et victimas praeparat.

6 b. Rex prior immolat
Appolini,
iubet, sacrificent
omnes, atque
trahuntur,
arentur
fideles Christi
per machinas territi.

7 a. Videns Georgius
perire multas
christianorum animas,

7 b. Exutus chlamyde
clamat: quid facis,
o serpens perditissime?

8 a. Immola Deo,
factori tuo;
nec iam daemonibus
immolabo.

8 b. Idola tua
surda et muta
manu sunt hominum
fabricata.

9 a. Haec audiens inimicus,
nimio furore turbatus:

9 b. Quis es, inquit, homo, pande,
deos audes qui blasphemare?

10 a. Nominor Georgius,
Christi sum famulus,
quem tu, maledicte,
adorares
tyranne potius,

10 b. Qui caelos et omnia
mira potentia
solus adorandus
instauravit
sua de gratia.

11 a. Sanctus ad poenam
sponte ducitur
extremam,
quia properat
ad palmam.

11 b. Oratione
fusa plectitur,
in caelum
eius anima
defertur.

12 a. O quanta sollemnitate
hac die suscepta est
huius sancti anima,
in paradisi gaudia.

12 b. O felix athleta Christi,
Georgi, te quaesumus,
ut nos tuis precibus
rex regum salvet Dominus.

Miss. ms. Maguntinum saec. 15. Cod. Mus. Cassovien. s. n. — 3 a, 2 festinantur. — 3 b, 1 iucundata. — 4 a, 4 coniuncto. — 5 a, 1 gloriosos. — 6 b, 3 sacrificens. — 9 b, 2 audis quis. — Mel: Psallite.

240. De sancto Georgio.

1. Vitae

2 a. *princeps principe*
mortis vincto sub inferis
hos dies
cum resumpta
apparens
carne victor dedicavit.

2 b. *Hinc gratias*
exhibentes unanimes
maxillis
Leviathan
erepti
cum voce corda levemus.

3 a. Ne nos hostis antiquus
captivos
ultra deprimat,
hic miles, cuius colimus
agonem,
legatus regi mittatur.

3 b. Ipse viva hodie
hostia
sancta et placens
. . . .
supplicum
non spernit vota suorum.

4 a. Sancte Georgi, te
poscimus, quaerimus
ac pulsamus,
nostris precibus
advigilare digneris.

4 b. Eius amore nos
refove, cuius
dilectionis
igne fervidus
flammam poenarum viceras.

5 a. Qui abnegando
te ipsum mundo,
crucem baiulando,
nos orando
crucifige saeculo.

5 b. Ungulas, flagra,
carcerem, fervens
plumbum atque rotam
tu subisti
cum lorica fidei.

6 a. Tu pro malis
bona restituis
dans mago
caelum pro veneno.

6 b. Legitime
nudus cum nudo cer-
taveras
ac Deo palmam reportas.

7 a. Nunc adiutorium
ecclesiae
contra hostis fraudes
suggere
culpas eius diluens.

7 b. Et in novissimo
iudicio,
cum per ignem cuncta
probantur,
esto noster defensor.

8. Te suum
sentiant cuncti fideles
patronum.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 2b, 3 sq. Leviathan maxillis. — 3a, 2 sq. ultra captivos. — 6b, 4 Zwei Silben Überschuſs, wie immer in dieser Melodie. — Melodie: Hypodiaconissa.

241. De sancto Georgio.

1 a. Excellentem
Modum mortalium
Admonentem,
Caelorum lilium
Celebremus;

1 b. Effulgentem
More Georgium,
Fortem lentem,
Verum praesidium
Festivemus.

2 a. Martyr Christi veniens
Silenam Lybiae,
Provinciae muniens
Pectus militiae,
Dyrachiem egrediens
Fert vitam filiae.

2 b. Regis cor inficiens
Per lumen gratiae,
Sic fuit oboediens
Veraci sophiae,
Martyr fuit largiens
Viamque veniae.

3 a. Dacianus idolorum
Actis erigitur,
Fidelis martyr dolorum
Praemio premitur,

3 b. In membris via languorum,
In plumbo mittitur,
Virus nil dono polorum,
Rota destruitur.

4 a. Templum deletur,
Praeses recrudescit,
Coniunx docetur,
In caelo clarescit;

4 b. Morte tenetur
Sanctus et famescit,
Ut laetetur,
Qui vere virescit.

5 a. Orbe legetur
Lensque emarcescit,
Fides augetur,
Infernus rarescit.

5 b. Exspolietur
Hoc, quod evanescit,
[Hoc] glorietur,
In te quod fragrescit.

6 a. Georgi, rosarum rosa,
Peccatorum et aurora,
Navigantium et prora,
Intersis fidelibus.

6 b. Corona martyrum, rora
Qui tenes superiora,
Foveas inferiora
Sicut et gentem huius

7. Civitatis.

Brev. ms. Gerundense saec. 14/15. add. saec. 15. Cod. Capit. Gerunden. 3. — 2 a, 3 sic muniens. — 2 a, 4 Et pectus. — 4 a, 3 Convinxit docetur. — Nach 5 a, 4 folgt noch: Ren (!) Expoliatur. — 5 b, 1 Expoliatur. — 6 a, 3 et fehlt. — 6 b, 4 Sic et. — Zu 1 b, 3 vgl. 5 a, 2; manches bleibt dunkel.

242. De sancto Gereone.

1. Laetetur ecclesia
iubilans

2 a. Catholica,
prole mater inclita,

2 b. Sed fidei
dote virgo pudica.

3 a. Quos ut puerpera
parturit hic
per tormenta,

3 b. In caeli regia
conspicatur
cives laeta.

4 a. Nam legio martyrum
Thebaeorum sacra

4 b. Haec sanguine rosea
compsit sollemnia.

5 a. Cumque Maximiani
iussa trucis
sprernerent fortiter
pro Christo impia

5 b. Et diis nollent
ferre tura,
corporum subeunt
dira supplicia.

6 a. Hinc Verona novenis
splendet mirifica,

6 b. Tripudiat Victore
victrix et Troia.

7 a. Hos inter plurima
Gereon cum turba
dux praesidet
te fovens,
sancta Colonia.

7 b. Huius sociorum-
que meritis freta
laudum Deo
debita
refer praeconia,

8 a. Cui vox omnigena

8 b. Dulci melodia

9. Martyrum pro hac victoria
personet in alta
nunc Amen, Alleluia.

Opp. Bernonis Augien. saec. 10. Cod. Sangallen. 898. A. — Miss. ms. Veteris Montis anni 1273. Cod. Mus. Archiep. Colonien. VI 2. B. — Grad. ms. S. Gereonis Colonien. anni 1424. Cod. Mus. Archiep. Colonien VI 5. C.
2 b, 2 date C. — 3 a, 1 Nos ut B. — 3 a, 2 haec BC. — 4 b, 1 roseo BC. — 5 a, 2 trucis fehlt BC, wodurch der Parallelismus hergestellt würde, da in A 5 a zwei Silben mehr hat als 5 b. — 7 b, 1 Cuius BC. — 7, 5 refert BC. — 9, 3 Alleluia fehlt BC. — Verfasser der Sequenz ist Berno von Reichenau, unter dessen Briefen sie steht. Der Name Verona (6 a, 1) ist schuld, daſs nach Schubiger (S. 84) Daniel, Kehrein und selbstverständlich auch Chevalier die Sequenz als auf die hl. Verena gedichtet bezeichnen.

243. De sancto Germano.

1. Convenite, melico
iubilate una

2 a. Gloriosi, vos, sceptra
Christi imperatoris
aurea;

2 b. O vos, inquam, aethera
Polorumque adeste
culmina,

3 a. Semitonia
Cum tonis et galasia

3 b. Ad conspicua
Celsi Germani gaudia.

4 a. Cuius et novus helios
Vos quam celebre flamen
irradiat.

4 b. Vobis, caelites, iucunda,
Mortalibus translatio
indigna

5 a. Dignis manibus est acta
Et nunc frequentare
natalitia.

5 b. O vos hyalina freta,
Tellus et cuncta magis
Germania,

6 a. Iure usus clara
Assis, Aquitania
Et Cleromonia,

6 b. Huic deferre grata,
Dulcissima, ut puta,
Heroi cantica,

7 a. Sis, Burgundia,
Nam penes sua
Te nativitas
Floruit, et virtus
perambulat;

7 b. Salutifera
Quippe et sacra
Nobis dogmata
Propinavit atque
miracula.

8 a. Ergo in sancti praeconia
Assidue, caeli harmonia

8 b. Terraeque sphaera, sinceras
Summo regi fer grates, Gallia,

9 a. Quod tantus
tibi apostol(ic)us emicat,

9 b. Inclitus
[quoque] veluti alter Titan.

10 a. Hinc te flagitamus,
o praesulum gemma,

10 b. Concedas votis, qui
tua colunt festa,

11. Gloria frui sempiterna.

Trop. ms. S. Carauni Carnoten. saec. 12. Cod. Angelicus D V 3. A. — Miss. Carnotense imp. Parisiis 1500. B. — Miss. Carnotense imp. Parisiis 1511. C. — 2 b, 2 adesse BC. — 3 a, 1 Emitonia (= Hemitonia) BC. — 4 a, 1 novus elyos A; eleyos BC; man erwartet ein auf a schliefsendes Wort. — 4 a, 2 Vosque BC; quam = ut, tamquam. — 5 a 1 est aucta A. — 5 b, 1 vos galura BC. — 6 a, 1 In te visus clara BC. — 6 a, 2 Equitania A. — 6 a, 3 Cleronomia BC. — 6 b, 1 deferte BC; gratia A. — 6 b, 3 Heloy A. — 7 a, 2 sq. zu verbinden: penes te sua etc. — 8 a, 2 Assue caeli BC. — 8 b, 2 Uno regi BC. — 6 a, 1 Quo ABC; cantus tibi BC. — 10 b, 2 colit A.

244. De sancta Helena.

1 a. O Helena, decus mundi
Et decor ecclesiae,
Lux et laus caeli iucundi,
Civis summae patriae,
Duc ad caeli gaudium.

1 b. De te gaudent omnes sancti,
Et extollit Dominus,
Tibi fluunt conregnanti
Summa bona protinus;
Nobis sis praesidium.

2 a. Stabularia fuisti
Pia et laudabilis,
Imperatrix (post) exstitisti
Deo peramabilis,
Dum vixisti saeculo.

2 b. Hierusalem transfretata
Crucem Christi quaerere
Hanc Iudam angariasti
A terra effodere
Ostensam miraculo.

3 a. Per hanc fides incrementum
Recepit catholica,
Atque satan detrimentum
Cum sui exitio,
Necnon beatificam
laudem Christi passio.

3 b. Es mater imperatoris
Constantini nobilis,
Et amica salvatoris
Devota et humilis
. . . .
sancto plena studio.

4 a. Altum Villare congaudet
Belgicae coenobium,
Quod et te habere audet
In suum consortium
Intentum virtutibus.

4 b. Rogamus, sis advocata
Pro nobis ad Dominum:
Corda nostra sint purgata
Ante mortis terminum
Tuis sanctis precibus.

Offic. ms. saec. 16. in. Cod. Semin. Gerunden 2509. — 1a, 5 Educ nos ad. — 1b, 4 Summa ergänzt. — 3b. 1 Fuisti mater. — 3b, 3 Et es. — 4a, 5 Intentem. — 4b, 3 Ut corda. — Aufschrift: „Prosa".

245. De sancta Helena.

1 a. Audi nos,
nam te Dominus
ut reginam honorat.

1 b. Salva nos,
Iesu, pro quibus
te Helena exorat.

2 a. Da, fons undantis gratiae,
Nos purae mentis oculos
In te defigere.

2 b. Ne haustu Stygiaticae
Acherontis glacie
Cruciemur misere.

3 a. Christianismi
Dona fac nos bona
Teque sitire,

3 b. Ut mereamur,
Cum Helena, Iesu,
Ad te transire.

Miss. ms. Hilariense CXVII. add. saec. 15. — Die Sequenz ist auf die Melodie der letzten Strophen des Ave praeclara maris stella, die oft selbstständig als Sequenz vorkommen, eingerichtet.

246. De sancto Hieronymo.

1 a. Puer, natura nobilis,
Ingenio laudabilis,
Tendebat ad virtutem;

1 b. Cum literis se tradidit,
Serviles artes respuit
Aspirans ad salutem.

2 a. Dum vanorum libros legit,
Miro modo sed paterno
A Domino corripitur.

2 b. Quem subegit, hunc elegit,
Verbis, virga mentem fregit,
Culpa sic dimittitur.

3 a. Hic deserti vasta quaerens,
Vitam ibi artam gerens,
Carnem domans iugiter,

3 b. In gravibus laboribus
[Vivens] necnon ardoribus
Vicit hostes fortiter.

4 a. Via arta et vitalis
Huius fuit exemplaris,
In qua perfectus graditur;

4 b. Haec est plena morum norma,
Haec est verae vitae forma,
Qua quis cum Christo patitur.

5 a. Hic sic luxit hic scribendo,
Docens, legens, exponendo,
Quod nullos talem noscit;

5 b. Augustinus, egregius
Doctor, istud sublimius
In scriptis recognoscit.

6 a. Dum hic sacrum dogma pandit
Et ad alta scriptis scandit,
Haereticus prosternitur;

6 b. Dum hic pravum dogma frangit,
Vi verborum pravos angit,
A lupo grex defenditur.

7 a. Hunc baptista singularem
Victu, vita sibi parem
Refert et in praemio.

7 b. Est uterque virgo, doctor,
Vita martyr, mundi victor,
Sed distantes gladio.

8 a. Sertis trinis laureatus
Fulget praeco, cum beatus
Bina dat Ieronymo;

8 b. Augustino revelavit
Haec baptista voce clara
In eius praeconio.

9 a. Quam permagna signa fecit,
Dum errantes vi deiecit
Defunctos tres resuscitans.

9 b. Qui occulta denudabant
Sicque fidem confirmabant,
Quod nullus mansit haesitans.

10 a. Caecos, claudos et obsessos
Et diversis morbis pressos
Prece sua liberans,

10 b. Impugnatos hic protexit
Et ad vitam lapsos vexit
Pius pater miserans.

11 a. Si de sanctitate morum
Scire vis et meritorum
Atque de eius gloria,

11 b. Lege Augustini dicta
Vide et Cyrilli scripta,
Qui dat ei praeconia.

12 a. Ut a malis nos defendat,
Opem ferat et impendat
Prece apud Dominum,

12 b. Invocantes collaudemus
Et laudantes invocemus
Hunc sanctum Ieronymum.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Slesiaci Fol. I 83. — 7 a, 2 Victum.

247. In Translatione s. Hildae.

1 a. Sponso regi castitatis
Nostrae chorus parvitatis
Gratae melos puritatis
Personet alacriter.

1 b. Nam hac caeli luce festa
Venerantur Hildae gesta,
Qua translata carnis testa
Eius est sollemniter.

2 a. Haec Edwini regis neptis
A primaevae vitae coeptis
Iugis Christi in praeceptis
Meditari studuit.

2 b. A Paulino baptizata
Sacramentis et ornata,
Fide sana, verbo grata,
Satis late claruit.

3 a. Spreto luxu saeculari
Haec sub veste regulari
Veri sponsi subarrhari
Annulo promeruit.

3 b. Haec aetate profluente
Puber annis, cana mente,
Ire Christo suggerente
Galliam disposuit.

4 a. Hinc pro voto transfretatur
Et, quae diu suspiratur,
Hereswida visitatur
Calae monasterio.

4 b. Quo per annum commoratur
Et, ut plene doctrinatur,
Aiclani revocatur
Praesulis imperio.

5 a. Revocata consorores,
Quas ascivit iuniores,
Disciplinae docet mores
Prope Wyri fluvium.

5 b. Et post annum hinc recessit
Ad Herutheu processit,
Ubi abatissae gessit
Graviter officium.

Miss. ms. Whitbiense saec. 14. Cod. Oxoniens. Miscell. Liturg. 390.

248. De sancto Iacobo.

1 a. Festa Christi celebrando
Prosequamur, exsusultando,
Laudes Deo decantando,
Ad Iacobi sollemnia.

1 b. Qui piscator adprobatus,
Regum tamen ramis natus
Exstat Christi et cognatus,
Velut probant natalia.

2 a. De navi Iesus hunc vocavit
Cum Iohanne, quem amavit,
Cui matrem commendavit
Cruci adfixus manibus.

2 b. Quos praefecit piscatores
Animarum et doctores,
Pravos ut deviatores
Prenderent caeli retibus.

3 a. Hic athleta sanctus Dei
Diffudit semen fidei
Per Iudaeam, ut Iudaei
Oboedirent Christo regi.

3 b. Hermogenem et Philetum,
Magos hos et horum coetum,
Cor habentes inquietum
Subdidit sanctorum legi.

4 a. Cum ad mortem damnaretur
Et de foris duceretur
Decollari, ut sanetur,
Rogat paralyticus.

4 b. Gratum quem Iosias cernens,
Iudaeorum legem spernens,
Fide fervens, se prosternens,
Effectus est catholicus.

5 a. Hic insignis quam beatus!
Coram quo transfiguratus
Iesus ut nix dealbatus
Est clarificatus nimis.

5 b. Puellam cum resuscitavit
Et in agone dum oravit,
Huic et Petro demonstravit
Ut amicis intimis.

6 a. Inter servos duodenos,
Fidei fervore plenos,
Caeli cives ad amoenos
Iste primus assumitur.

6 b. Summum sequens artificem
Bibendo mortis calicem
Laetus cum sanctis invicem
Saecli iudex praeficitur.

7 a. Nunc, Iacobe, spes pauperum,
Modo supplanta tartarum,
Cum Christus iudex scelerum
Iudicabit saeculum,

7 b. Atque post hoc exsilium
Placa Mariae filium,
Nobis aeternum gaudium
Sit trinitatis speculum.

Cod. Beverin. 672. saec. 15. — 5b, 3 His et. — 7a, 2 In der Hs. m supplanta.

249. De sancto Iacobo.

1 a. Festum agat totus mundus
Hunc, celebret sic iucundus
Iacobi sollemnia.

1 b. Regem caeli imitatus
Apostolus iam beatus
Oboedit per omnia.

2 a. Apostolum sanctum Dei
Filiumque Zebedaei
Laudemus cum gloria,

2 b. Tota mente vigilemus,
Ore, corde iubilemus
In eius memoria.

3 a. Ecce, verus sanctus Dei,
Seminator nostrae spei
In caelesti patria,

3 b. Rursum praeco, legislator,
Vivi Dei excitator
De mundi miseria.

4 a. Modo sectam Iudaeorum
Refutat Pharisaeorum,
Fidem Christi praedicat,

4 b. Ad coronam sempiternam
Docet gentem viam ternam,
Trinum unum indicat.

5 a. Totus in Dei fervore
Positus et in amore
Fervet Iesu gratia,

5 b. Hermogenem et Philetum
Traxit per daemones spretum
Iacobus potentia.

6 a. Et ad pedes eius cadit,
Libros offert et evadit,
Ab errore abiit,

6 b. Vir coepit esse perfectus,
Per servum Christi allectus
Fidem veram adiit.

7 a. Superponunt funem collo,
Stringitur restis in collo,
Patienter subiit,

7 b. Fidem a sancto accepit
Iosias, tenere coepit,
Morte sancta obiit.

8 a. En, Lupa credit regina,
Operatur vir divina
Virtute apostoli.

8 b. Ceterorum multi credunt,
Baptizantur, mox recedunt
A fraude diaboli.

9 a. Iam nos cum beatis vere
Miserere, nos tuere
Cum sanctis in gloria.

9 b. Tecum et iustis gaudere
Da, in aevum permanere
In beata curia.

Miss ms. Strigoniense saec. 15. Cod. Capit. Strigonien. Mss. I 20 — 2a, 2 Filium Zebedaei. — 3b, 2 Vini Dei. — 4a, 1 Modum. — 4b, 2 via trina. — 5a, 1 Votus in. — 6a, 1 Ut. — 7b, 2 Iosia. — 7b, 3 sancti. — 8b, 2 non recedunt. — 9b, 1 Tecum et cum iustis. — 9b, 2 Da fehlt; In sum permanere. — Acrostichon: Frater Matheus fecit.

250. De sancto Iacobo.

1 a. Maior nulla caritas
potest haberi, quam
animam
pro amicis dare,

1 b. Olim quam cunctis sanctis
praedixere fore
culturam
caelesti patria.

2 a. Hanc docuit Iacobus,
sanctus apostolus,
Dominum praedicando
cunctis gentibus.

2 b. Et complevit opere
magno in Hermogene,
cum ad eum remisit
nequam daemones.

3 a. Vinctus quoque ducitur
iubens sanctum
Dei vincere,

3 b. Sed a Phileto solvitur
nec audet
liber pergere.

4 a. O sancte apostole,
qui tantum erga proximum
habuisti caritatem,

4 b. Ut ligatum solveres
et solutum ire semper
praeciperes, ubi vellet.

5 a. Ut summa gaudia,
rogamus, [in] via
det nobis sapientia,

5 b. Et cum laetitia
fidelium turma
(con)gaudeat in poli pinna,

6. In qua fiunt protinus,
quaecunque dicit Dominus.

Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis. 1496. — 1b, 3 culturam perfectius. — 3a, 3 Lies vincire oder vinciri? —

251. De sancto Iacobo.

1 a. Aeterno regi cantemus
dulcia cantica

1 b. Caelestis regni supera
regenti sedilia.

2 a. Rerum quem cunctarum
trino numine
pressa tremit
subdita machina.

2 b. Nigra sed formosa
huic coniubilet
ecclesia,
Sion filia.

3 a. Quae sponsum quaeritans
fessa reperit
pascentem
inter sacra
rosarum lilia,

3 b. Cui sponsus: propera,
sponsa, sint nobis
oscula
intra horti
dulcis aromata.

4 a. Contra: dilecte,
floret vinea nostra,
sum ego ferax
pacifico vinea.

4 b. Illic custodum
tuo ponantur nutu
divina iussa
servantium milia.

5 a. Caterva iam nunc insona
divina
Christo modulamina,
qui suam praefulgida
ecclesiam
ditat custodia.

5 b. Corusca cuius lampada
exstant, en,
Iacobi merita
patris de navicula
vocati
voce dominica.

6 a. Inclitus apostolica
est sublimatus cathedra,

6 b. Rutilat eius doctrina
septena et ecclesia.

7 a. Cuius sanctitas inclita,
vita miranda
fax est ardentissima,

7 b. Caelo hodie fervida
quem machaera
misit Herodiana.

8 a. Et comptum laurea
laetum sumpsit
phalanx caelica,

8 b. Suscepit lucida
cohors quoque
senatoria.

9 a. Ubi plaudunt angelica
sonoris concentibus
dulciter agmina
voceque clamant uranica:

9 b. Tibi, Christe, sit gloria,
mundi cuncta
cluens per climata,
spes sanctorum unica.

10 a. Coetui quorum
nos famulos
clementia
divina socia,

10 b. Supplices sancti
et Iacobi
ad aethera
precibus subleva.

11. Amen laeta
tripudians
persona chorea.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 3 b, 2 sunt. — 5 b, 5 vocatus. — 9 a, 2 sind zwei, 9 a, 4 zwei Silben zu viel.

252. De sancto Ianuario.

1 a. Christum laude celebri
sexus et aetas
invisibilem
omnis canat,

1 b. Hanc qui dieculam
nobis septenis
fecit testibus
celebrandam.

2 a. Quorum primus
electus Dei
Ianuarius
est pontifex.

2 b. Angelico
in vultu semper
Deo serviens
emicuit.

3 a. Hic poenas
sustinuit patiens

Sub principe
saevo Diocletiano
pro Christi
nomine plurimas,
ut hostis cruenti fauces
immunis
evaderet rabidas.

3 b. Libamen
cum sperneret idolis

Christi patris
athleta invictissimus
offerre,
carcerali poena
afficit insanus iudex
atrociter
martyrem Domini.

4 a. Mox inde ignito
traditus furno
ex Domini iussis et
sanus exiit.

4 b. His praeses agnitis
perfurens ira
iussit nervos scindere
militi Dei.

5 a. Post haec ad fidem Dei
incredulos
convertit populos
Timotheo oculos
reddit et claros.

5 b. Christus, volens martyri
certaminis
finem imponere,
decollari permisit
iunctis sociis.

6 a. Conregnant
nunc incliti martyres
in caelis cum Christo
Domino et eius
cunctis angelis.

6 b. O pie
Ianuari, precibus
nos Deo sedulis
commenda cum piis
tuis sociis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. A. — Trop. ms. Rhenoviense saec. 11. Cod. Turicen. Rhen. 132. B. — 3 a, 5 Christo A. — 3 b, 6 poena fehlt B; dafür über der Zeile iussit. — 5 a, 5 reddidit B. — 5 b, 1 martyris B. — Melodie: Dies sanctificatus. — Vgl. Rom. Forsch. IV, 506 u. f.

253. In Natali Innocentum.

1 a. Alma fulgent omni mundo
Christi natalitia;

1 b. Bella cessant, quia pacis
nuntiantur gaudia.

2 a. Caeli Deum arta stringit
praesaepis angustia,

2 b. Decus nostrum redemptoris
reparat militia.

3 a. Exardescit contra illam
Herodis insania

3 b. Frustra verens, ne amittat
quassa regni solia.

4 a. Gestit ergo scire, quonam
lateat infantia,

4 b. Huius ei metus crebra
ingerens suspiria.

5 a. Inquirensque, nati regis
ubi sint palatia,

5 b. Kara Christo discit esse
Bethlehem dotalia.

6 a. Leto dare immortalem
Vitae parat largitorem
Maxima dementia.

6 b. Morti cedit recens natus
A parentibus delatus
In Aegypti munia.

7 a. Nec a magis se delusum
Rex iniquus fert inultum
Furens ex invidia;

7 b. Omnes parvos iubet caedi,
Quotquot intra sunt reperti
Bethlehem confinia.

8 a. Praeciduntur abque noxa
A bimatu atque infra
Dextera sicaria.

8 b. Qui vix vita fruebantur
Necdum mortis merebantur
Fera tam dispendia.

9 a. Xristi testes non loquendo,
Hunc praecedunt moriendo
Caeli ad fastigia.

9 b. Ymnum ergo praesens turba
Dulci canat symphonia
Tanta pro laetitia,

10 a. Culpa poscens ut deleta
Pura innocentia

10 b. Innocentum praestet nobis
Vera Christus gaudia.

Trop. ms. Benedictin. saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 3 a, 1 illam contra. — 7 b, 1 Parvos iubet omnes. — 8 a, 1 Trucidantur.

254. De Innocentibus.

1 a. Urbis novae Hierusalem
Laudem dicat specialem
Chorus in ecclesia;

1 b. Huius urbis est fundator,
Innocentum coronator,
Qui regit caelestia.

2 a. Hoc caeleste fundamentum
Semper tendit ad augmentum
Fundatoris gratia.

2 b. Quam praeclari sunt lapilli,
Quibus constat domus illi,
Qui continet omnia!

3 a. Nova castra
Super astra
Rachelis in gremio

3 b. Voce clara
De sub ara
Canunt Dei filio.

4 a. Qui dignatus incarnari
Innocentes coronari
Voluit martyrio;

4 b. Quos Herodes trucidavit,
Christus natus sulimavit
In caelesti solio.

5 a. Christus iacens vili thoro
Innocentes caeli choro
Sociat in gloria;

5 b. Ex praesaepe rex caelorum
Turbas transfert puerorum
Ad caeli palatia.

6 a. Orto mundi novo duce
Subtrahuntur ab hac luce
Herodis insania;

6 b. Sanguinis effusione
Christum laudant, non sermone,
Martyrum tot milia.

7 a. Ante neci sunt addicti,
Quam ullius sint delicti
Polluti contagio;

7 b. Morte vitam sunt adepti
Ac de mundi sunt erepti
Liberi naufragio.

8 a. Quam felices
Genetrices
Puerorum talium,

8 b. Qui per mortem
Sumunt sortem
Supernorum civium!

9 a. Horum, Christe, chorus iste
Iungatur consortio,

9 b. „Sanctus, Sanctus“ qui depromunt
Nato Dei filio.

10 a. Qui post caedem
Super sedem
Collocantur gloriae,

10 b. Assistentes,
Congaudentes
Faciant in requie.

Cod. Capit. Illerden. 8. saec. 13. in. — Mit Neumen.

255. De sancto Iohanne B.

1 a. Creatarum rector rerum,
Cuius verbum constat verum,
Inquit „Inter mulierum
Natos nullus oritur

1 b. Maior magno praecursore,“
Cuius chorus hic canore
Pangens plaudit servos ore,
Quo Christus extollitur.

2 a. Praeco potens et propheta,
Laudis cuius non est meta,
Vox clamantis est, athleta
Constans esse creditur.

2 b. In deserto vitam duxit,
Vitae viam nos instruxit,
Per quam vera lux illuxit
Et caligo laeditur.

3 a. Vinum vitat et siceram,
Lympham parce potat meram,
Mel, locustas est et veram
Docet paenitentiam.

3 b. Vestis dura carnem domat,
Quo mens pura plus aromat,
Praesens coetus hic depromat
Melod(ia)e sequentiam.

4 a. Miles regem baptizavit,
Qui nos a peccatis lavit,
Quem praedicens demonstravit
Agnum sine macula.

4 b. Te rogamus, o baptista,
Verae vitae dogmatista,
Sis pro nobis agonista
Delens mortis iacula.

Miss. ms. Lincolniense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 11 414.

256. In Decollatione s. Iohannis Bapt.

1 a. Ecclesia
devota
inclita
concinat cantica,

1 b. Sacra quia
rutilant
nunc festa
per orbis spatia.

2 a. Laeta dies instat
et magna,
gaudeat cuncta
dominica caterva,

2 b. Quia de Iohanne
Baptista
iam nunc intonant
praeconia dulcia.

3 a. Cuius martyrii
gloria
claret maxima
laude pia
hac in aula
prodita,

3 b. De qua praeconia
inclita
Christum Dominum
laudantia
per saecula
sunt orta.

4 a. Patri virtute prima
reddidit famina,
loca postea
petit eremitica.

4 b. Illic inter spelaea
arta cluens vita
carni tegmina
circumdat aspera.

5 a. Arva planabat devia
voce conclamans prophetica,
baptizabat corpora,
remedia
praedicans futura.

5 b. Monstrabat Christum interea,
cuius clara rutilant dona,
quibus aeternae vitae
consequimur
magna praemia.

6 a. Baptismi sacra
perfudit unda
lavantem crimina;

6 b. Testimonia
de caelo data
prodit in saecula.

7 a. Tanta post magna
merita
sumit almam
capitis sententiam.

7 b. Cuius exempla
secuta
quam beata
sanctorum sunt agmina!

8 a. Aeterna gloria
laureatus regnat
in aethra,

8 b. Omnium merita
qui transscendit summa
gratia.

9 a. Hic itaque magnifica
sublimatus est doxa
supra altithrona
sedilia
in caeli curia,

9 b. Qua reboant sublimia
trinitatem
cernentia
in gloria
aeterna agmina.

10 a. Omnia mala perpetrata
ac futura avertat
baptista

10 b. Et bona sanctus prece summa
impetret aeterne
. . . . . .

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 5 b, 3 quis. — 8 a, 3 aethera. — 9 b, 2 und 3 fehlen je zwei Silben am Verse. — 10 b, 3 ff. fehlen.

257. In Decollatione s. Iohannis B.

1 a. In laude summi verbi
Dei praeconis
multis
ad praesens notantis

1 b. Harmoniae sacra plebis
festa colentis
dignis
sonent tripudiis.

2 a. Hic impiae vesaniae
Herodis
regis affectat
dirimi crimina,

2 b. Quae perpetrat continuo
incestus
sui germani
coniuge Philippi.

3 a. Id furens haec bellua
cognoscens eum
odio habuit

3 b. Incitat ac Lydiam,
regna promissa
penitus renuat.

4 a. Solum sacri capitis
particeps mereretur,
fervens suadet meretrix.

4 b. Haec libens satisfaciens
matri furenti cupit
lance sibi donari.

5 a. Quem rex impius
plecti iussit protinus;

5 b. Caput ipsius
lictor adfert ocius.

6 a. Hunc quaesumus,
ut cunctis populis
in fonte sacro tinctis
fautor exstet celebris,

6 b. Ne scelere
in tanto dediti
fiant, sed sacris donis
charismatum praediti,

7. Ut in perennibus
mereantur consortes
fieri ipsius.

Cod. Vatican. Palatin. (ol. Laurissen.) 833. add. saec. 10. — Ohne Titelangabe. — 3 b, 1 ludiam Hs. — 6 a, 4 exsistat Hs.

258. De s. Iohanne ante Portam Latinam.

1 a. Iucundetur omnis aetas
Summo regi pangens laetas
Odas in tripudio.

1 b. Virginalis det conventus
Evangelistae concentus
Iohanni cum gaudio;

1 c. Virginali voce gaudent,
Qui virginibus congaudent
In poli palatio.

2 a. Ob amorem spiritalem
Sprevit copulam carnalem,
Quamvis sit difficile.

2 b. Iam cognovit Christo iungi
Magis quam rosa perfungi
Fore sibi utile.

3 a. Stellam maris igitur,
Ex qua mundo nascitur
Spes misericordiae,

3 b. Custodire meruit,
Dum in cruce praebuit
Latus sol iustitiae.

4 a. Postquam virginis lucerna
Se recepit ad superna
Corpore, quo splenduit,

4 b. A nefandis multa dira
Passus est pro fide mira,
Quam servari docuit.

5 a. Ex edicto Romae tractus
Undam Palladis est nactus
Ferventis in dolio;

5 b. Udas vas minas praetendit,
Hunc integritas defendit
Carnis a supplicio.

6 a. Propter sacramenta verbi
Illum principis acerbi
Damnat relegatio;

6 b. Sed perempto fine vano
Principe Domitiano
Redit ab exsilio.

7 a. Per hunc Christus multa signa
Postmodum favore digna
Dat sana colentibus,

7 b. Ut sic error evanescat
Priscus, et corona crescat
Illum confitentibus.

8 a. Saxa gaudent,
Quod sic audent
Vim gemmarum
Et earum
Obtinere pretium.

8 b. Auri quidem
Nuper idem
Indumentum
Per momentum
Confert virgis frondium.

9a. Piae plebis in augmenta
Unit gemmarum fragmenta
Prece coram populo.

9b. Drusiana revocata,
Quae concesserat in fata,
Est per hunc a tumulo.

10a. A mucrone mortis ictum
Natum manibus ad dictum
Viduae restituit.

10b. Bibens letiferum haustum
Ante duobus infaustum
Illaesus apparuit.

11a. Morti veneno damnatis
Tulit vitae reparatis
Nodum incredulitatis
Idolorum praesuli.

11b. Unde plures ex paganis
Glomerati christianis
Fletibus cotidianis
Fiunt Christi servuli.

12a. Iam per omnes fines mundi
Sint fideles laetabundi,
Summi, medii, profundi,
Huius laudum nectare.

12b. Has, Iohannes, noster chorus
Odas laetus et canorus,
Ut sis illi tutor magnus,
Clangit pio pectore.

13a. Ergo, vox spiritus sancti,
Qui genitum generanti
Docuisti coaequalem
Atque consubstantialem,
Quod est luce clarius,

13b. Auge nobis veram fidem
Et in bono fac nos idem,
Ut per hanc coniunctionem
Paradisi mansionem
Reddat Dei filius.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 3a, 1 Stella AB. — 3b, 1 Custodiri. — 5b, 1 Odas AB; l. Edax? — 7b, 1 Et AB. — 11a, 3 Nondum AB. — 12b, 3 sit B.

259. De ss. **Iohanne et Paulo.**

1. Laudes

2a. Omnis sexus et aetas
totis viribus canat
Deo maximo Sabaoth,

2b. In cuius catholica
fide firmiter fixi
triumphaverunt hodie

3a. Agonistae fortissimi,
sanctus Iohannes
et Paulus, milites
incliti.

3b. Cum maxima constantia
Deo haerentes
poenas maluerant
corporis

4a. Noxias
quam delicias
nequam Iuliani,
regis apostatae.

4b. Tunc idem rex,
peior pessimo,
misit testes Christi
tormentis affici.

5a. At illi spe gaudentes
ultro se
impenderunt
tyrannorum manibus,

5b. Cum diis noluissent
pluribus
immolare
neque tus incendere.

6 a. Unicum Dominum
fatentes colere

6 b. Nullique alio
incensa ponere.

7 a. Semet ipsos
viventem hostiam
nobili cum triumpho
obtulerunt Domino.

7 b. Nunc in caelis
assistunt fulgentes
quasi sol intermixti
angelorum coetibus.

8. Vos, sancti martyres,
pro fidelibus cunctis
Deum precamini.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 6 a, 1 Unum. — Melodie: Mirabilis.

260. De sancto Ioseph.

1 a. Benedictus
es, Ioseph, fili Heli,
qui dignus
in terra vocari
inventus es Dei pater.

1 b. Tu praeclarus
mundi Hesper vocaris,
qui solem
iustitiae pascis,
a quo illuminaris.

2 a. Te Deus noster,
ut Dei pater
fieres
et ipse frater,
cuius eras filius,

2 b. Sanctificavit,
sanctum servavit
et mittens
sic nuntiavit:
Ioseph, fili David,

3. Mariam, tuam coniugem,
timere noli accipere
plenam filio Dei.

4 a. Per illud
arcanum prolatum
et tuum
assensum gratum
est per te
verbum absconsum,
quo videntur omnia.

4 b. Nunc, pater,
exora Iesum
ut nostrum
tollat peccatum
et regnum
det nobis paratum
in caelesti patria.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525.

261. De sancto Ioseph.

1 a. Gaude, Ioseph, fili David,
Per florentem virgulam
Tibi Deus desponsavit
Mariam virgunculam,
In qua sibi praeparavit
Carnis nostrae copulam.

1 b. Gaude, tibi desponsatam
Per angelum monitus
Non relinquens, gravidatam
Videns hanc divinitus,
Credis Deo consecratam
Dono sancti spiritus.

2 a. Gaude, quod de Gallilaea
Bethlehem progrederis,
Processurus sic de ea
Praegnante curam geris,
Donec matre virginea
Christum natum reperis.

2 b. Gaude, natum adorasti
Angelis canentibus,
Fusa luce observasti
Facta a pastoribus
A tribusque conspectasti
Tria dona regibus.

3 a. Gaude, templo praesentasti
Circumciscum puerum,
Cum matre considerasti
Mirans cruorem tenerum,
Simeonisque notasti
Gladium tam asperum.

3 b. Gaude, fugam te inire
Ad Aegyptum celere
Iubet angelus, ut irae
Cedas regis propere
Herodis, post hoc redire
In Nazareth prospere.

4 a. Gaude, quia quem quaesisti
Duodennem filium,
Hunc in templo invenisti
Tui cordis gaudium,
De quo prius doluisti
Sic amisso nimium.

4 b. Eia, quanto te dotavit
Deus privilegio!
Te custodem deputavit
Mariae cum filio
Teque summe exaltavit
In caelorum solio.

5 a. Nobis ergo, pater bone,
Quaesumus suppliciter,
Semper nunc et in agone
Succurre fideliter,
Ut tecum caeli coronae
Iungamur feliciter.

5 b. Iesu, nato salvatori
Ex Maria virgine,
Laus et eius genitori
Sit cum sacro flamine,
Qui nos dulci nutritori
Iungat in cacumine.

Miss. ms. S. Mariae Magdalenae saec. 15. Cod. Wratislav. Civic. M 1150. A. — Miss. Wratislaviense imp. Cracoviae 1505. B. — 1 a, 2 florem virgulam AB. — 2 a, 1 Gaude quae B. — 2 a, 4 Praegnante te AB. — 2 a, 5 Donec mater AB. — 3 a, 4 Mira crura tenerum AB; cruorem zweisilbig? — 3 a, 6 tam fehlt. — 4 a, 2 Duo dierum AB.

262. De ss. Iusta et Rufina.

1 a. Exsultemus congaudentes
Concordi melodia,

1 b. Ad natale consurgentes
Iustae cum Rufinia.

2 a. Quae, cum essent constitutae
Sub adulescentia,

2 b. Moribus erant imbutae
Fugientes vitia.

3 a. Immunes et alienae
Carnis immunditia,

3 b. Divina virtute plenae
Pollebant munditia.

4 a. In paupertate
Tamquam nihilum habentes
Possidebant omnia,

4 b. Deo dicatae
Curam domus disponentes
Magna providentia

5 a. Nunquam vacabant otio
Feminae sanctissimae,
Mos erat in mercando
Vascula fictilia,

5 b. Istoque mercimonio
Cum egenis maxime
Dividebant ministrando
Sua victualia.

6 a. Instantes orationi
Sinceris animis
Atque contemplationi
Vota solvunt mente pura.

6 b. Tempora iam propinquabant
Sui certaminis,
Ad quod sponte properabant
Terrenorum dempta cura.

7 a. Suscitat commotionem
Idolum, quod Salanchonem
Turba vocat impia;

7 b. Zabulus latens in eo,
Qui colebatur pro Deo,
Fregit mercimonia.

8 a. Sanctae virgines commotae,
Non damno sed fide motae,
Fecerunt similia:

8 b. Monstrum illud confregerunt
Et ad terram prostraverunt
Ferventes audacia.

9 a. Praeses Diogenianus
Eas in custodia
Mitti iussit ut profanus
Dicens: sacrilegia

9 b. Contra deos commisisse
Pro tanta iniuria
Reasque morte fuisse
Nulla data venia.

10 a. Iusta quidem blandimentis
Nec inducta nec tormentis
Post multa supplicia

10 b. Deo patri commendavit
Spiritum et exspiravit
Migrans ad caelestia.

11 a. Inclusa mansit Rufina,
Virtute fulta divina,
Vallata constantia,

11 b. Diris verberata loris,
Cervice fracta sororis
Sequitur vestigia.

12 a. Sedes Caesaraugustana
Glorificet Dominum
Voce clara,

12 b. Namque metropolitana
Festis harum virginum
Fulsit ara.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Brev. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1496. B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. C. — 1 b, 1 natalem A. — 1 b, 2 Rufina B. — 5 a, 1 vacabunt B. — 6 a, 3 Et ABC. — 6 b, 1 appropinquabant B. — 10 b, 2 spiravit B.

263. De sancta Katharina.

1 a. Summo regi iubilemus
dulci cum psallentio;

1 b. Katharina in hac die
nupsit Dei filio.

2 a. Trucidantis sprevit minas
freta Christi dextera,

2 b. Propter fidem salvatoris
dira tulit verbera.

3 a. Saevit hostis, ut negaret
Christum Dei filium,

3 b. Laniari membra iubet
usque ad exitium.

4 a. Argumenta tormentorum
inquirit et genera,

4 b. Nequit flecti virgo sacra
spe tendens ad supera.

5 a. Ut granum tritici
teritur

5 b. Nec de verberibus
queritur.

6 a. Flagrat hinc et saevit hostis,
blandimentis utitur,

6 b. Sed nec ita virgo verax
ad negandum ducitur.

7 a. Vapulat haec graviter,

7 b. Sustinet viriliter.

8 a. Spernit ictus ferientum
laetatur conviciis,

8 b. Quidquid suffert propter Christum,
pensat pro divitiis.

9 a. In hac die Katharina
coronari meruit

9 b. Crucem tollens, Christum sequens,
sicut ipse docuit.

10 a. Sol in die, luna nocte
non hanc uret amplius,

10 b. Neque luctus neque clamor
continget ulterius.

11 a. Poscat ergo salvatorem
suis sanctis precibus,

11 b. Ut cum illa collocemur
in supernis sedibus.

Antiph. ms. Canonicorum S. Augustini Italic. saec. 14. Cod. Rossian. IX 299. — 3 b, 2 excitium. — 6 b, 2 dicitur. — 8 a, 2 laetatur cum vitiis. — 10 b, 2 contiget.

264. De sancta Katharina.

1 a. Laudes Deo persolvamus
Et in ipso gaudeamus,
Qui creavit omnia;

1 b. Alternando concrepemus,
Concrepando decantemus
Virginis magnalia.

2 a. Virgo sancta Katharina
Regali progenie
Fulget orta,
Cui porta
Caeli patet hodie.

2 b. Quae dum vixit in hoc mundo
Legibus iustitiae,
Se submisit,
Cum derisit
Cultum idolatriae.

3 a. Nec metuit minas mortis,
Dum tyrannum arguit,
Sed secura
Virgo pura
Tormenta sustinuit.

3 b. Quae devictis rhetoribus
Carceris custodia
Detruditur,
Sed fruitur
Angelorum curia.

4 a. Virgis caesa
Neque laesa
Per tormenta
Sunt cruenta
Membra nimis tenera;

4 b. Tenta fastu
Sine pastu
Impinguatur,
Cum turbatur
Caesaris mens misera.

5 a. Ut rotarum
Diversarum
Plebis nece
Sua prece
Dissipatur machina.

5 b. Quod precatur,
Illi datur,
Capitali
Post finali
Plectitur sententia.

6 a. Sexta die coronatur,
In qua Christus exaltatur
Ad se trahens omnia,

6 b. Ut eadem sine mora
Ferrum lictor mergit hora
Diei tunc tertia.

7 a. Sponsa sponso copulatur
Miro sic consortio,
Quod amborum
Iungit thorum
Terminata passio.

7 b. Sponsi laeva mundo tenta
Virginis sub capite
Modo dextra
Sub et extra
Sponsam ornat inclite.

8 a. Sponsa sibi coronatur
Rosis atque liliis
Rubicunda,
Tota munda,
Castis casta brachiis.

8 b. Contemplantur hanc beatam
Ierusalem filiae
Concinentes
Et stupentes
Virginis in specie.

9 a. Cuius corpus pretiosum
Ad sepulcrum gloriosum
Defertur ab angelis,

9 b. Et Sinai mons ditatur
Hoc thesauro, quo frustratur
Urbs cruenta funeris.

10 a. Ibi tumba contra morem
Fundit olei liquorem
Sanans infirmantia.

10 b. Vita, finis, mira signa
Sat testantur, quam sit digna
Dies haec memoria.

11 a. Fulget dies haec praeclara,
In qua virgo Deo cara
Triumphat in gloria.

11 b. Katharina, sacra virgo,
Nos in huius mundi pyrgo
Christo reconcilia,

12. Gloriemur et laetemur
Tecum ut in gloria.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498 B. — 11 b, 2 mundi vite AB.

265. De sancto Laurentio.

1 a. Laurentium venerari
Debet, quisque laureari
Vult caelesti laurea;

1 b. Qui pro dicta veritate
A tyrannis est in crate
Coassatus ferrea.

2 a. Hic, dum Sixtus ducebatur
Ad mortem, hunc sequebatur
Avidus martyrii.

2 b. Tandem laetus accusatur
Pro thesauris et ligatur
De mandato Decii.

3 a. Extorquere quod intendit,
In pauperes iam expendit
Beatus Laurentius.

3 b. In carcere baptizatur
Lucilus, et illustratur
Intus et exterius.

4 a. Hippolytum baptizavit,
Baptizato demonstravit
Choros triumphantium.

4 b. Ad tormenta revocavit,
Nudum dire fustigavit
Decius Laurentium.

5 a. Tunc Romano revelatur
Christus, a quo tergebatur
Sancti cruor profluens;

5 b. Qui mox tentus decollatur,
Martyrio decoratur
Diffiteri renuens.

6 a. Laurentius iam assatur,
A quo Caesar invitatur
Ad assati latera;

6 b. Satis, inquit, est assatum
Iam hoc ede praeparatum,
Pars gyretur altera.

7 a. Tota nocte sic duravit
Supra cratem, exspiravit
Migrans ad caelestia.

7 b. Cuius intercessione
Fortes in confessione
Stemus digni gloria.

Miss. Aɔulense imp. Salamanticae 1510.

266. De sancto Laurentio.

1 a. Gaudet orbis, plebs fidelis
Laudet Dominum de caelis
In sancto Laurentio;

1 b. Quem Iesus manifestavit
Et in Roma sublimavit
Archidiaconio.

2 a. Hic thesauros dispensavit
Per egenos, quos locavit
In caeli aerario.

2 b. Caecos hic illuminavit,
Nomen Christi praedicavit
Sub tyranno Decio.

3 a. Scorpionibus, flagellis
Fractus carne luet pellis,
Passus famem, vincula.

3 b. Exquisitum genus mortis
Suffert laetus pugil fortis
Igne sub craticula.

4 a. „Gyra partem, quam cremasti,
Et manduca, quam assasti“
Dixit sanctus Decio;

4 b. „Portas caeli [iam] intravi,
Iam complector, quem amavi,
Iesum, quem conspicio.“

5 a. Sic exsultans et insultans,
Minas frangens, poenas multans,
Intrat caeli gaudia.

5 b. Omnes ergo deprecemur,
Ut cum Christo iucundemur
In caelesti gloria.

Brev. Oscense et Iaccense imp. Caesaraugustae 1505. — Aufschrift: „Prosa“.

267. De sancto Laurentio.

1 a. Gaudet Hispania
Psallens praeconia
Sancti Laurentii.

1 b. Hispanus genere,
Praepollens munere,
Consors Vincentii.

2 a. Hic urbem visitat,
Sub Sixto militat
Archidiaconus,

2 b. . . . .
. . . .
. . . .

3 a. Thesauros erogat,
Sixtum interrogat:
Heu, quo progrederis?

3 b. Respondet: praevium
Post diem tertium
Me, fili, sequeris.

4 a. Ardens craticula
Hunc sine macula
Non potest vincere.

4 b. Caesar confunditur,
Cum sibi dicitur
Assatum edere.

5 a. Custos Hippolytus
Christi neophytus
Statim efficitur.

5 b. Cirica vidua
Peste continua
Per hunc eripitur.

6 a. Romanus hominem
Tergentem sanguinem
Videt cum linteo;

6 b. Tunc clamat, cursitat,
Baptismum clamitat,
Aquam fert urceo.

7 a. Visum Crescentius
Recepit sobrius
Vico Canario;

7 b. Aurum distribuit
Pedesque abluit
Fratrum cum gaudio.

8 a. Catastam ligneam
Cratemque ferream
Vincit Laurentius;

8 b. Plumbatas laminas,
Ungues spernit, minas,
Quas fecit Decius.

9 a. Assatur, teritur,
In prunis uritur
Pro Christi nomine;

9 b. Tormenta tolerat,
Duci improperat,
Repletur flamine.

10 a. Haec fortis pertulit,
Se ipsum obtulit
In sacrificio.

10 b. Iustinus rapuit
Corpus et posuit
In coemeterio.

11 a. Martyr egregie,
Sidus Hispaniae,
Pro nobis supplica,

11 b. Ut magna curia
Sit nobis socia
Turba angelica.

Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valentin. s. n. A. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valentin. s. n. C.

268. De sancto Leonhardo.

1. In laude
Christi congaude,
Caterva christiana.

2 a. In Leonardi festo
Nobis, Deus, adesto
Et dare
Dignare
Corda pura.

2 b. Fama fraglat ut nardus,
Ut leo Leonardus
Vir fortis
Ac mortis
Pellens dura.

3 a. Artatis
Est satis
Pius vir pietatis,
Compeditis
Et afflictis
Adest mitis,
Emancipat nexos
Valenti dextra.

3 b. Est bonus
Patronus,
Ut ferri pendens onus
Attestatur,
Clamat, fatur:
Hic solatur
Et iuvat oppressos
Intus et extra.

4 a. Ipse Chlodovei
Linquens aulam Dei
Militem sumpsit
Et gessit vitam.

4 b. Patriam et patres
In aula primates
Fugit, ut esset
Israelita.

5 a. Praesulatus
Est oblatus,
Ille cessit,
Non concessit
Malens fructum quam folia.

5 b. Foenum floris
Et honoris
Onus sprevit,
Rem complevit
Fugiens . . . . .

6 a. Iesu Christi
Ac magistri
Resculpens
Remigii vestigia

6 b. Christum novit
Et refovit
Intentus
Ergastuli custodia.

7 a. Voto fuit rosa,
Sed inter auroram
Confessor albet lilia.

7 b. Effraim effectus
Cinxit fide pectus,
Remansit verbo labia.

8 a. Post diffusa
verbi Dei semina

8 b. Transit sanctus
ad sanctorum agmina.

9 a. Hic solvendi palmam
Praefert saepe claram,
Praedam praefert ut in vita
Potens ita
Post exitum hominem
Ad talia.

9 b. Hic praedonum praedo sanctus
Carceratis solvit planctus,
In auram solvit
Et resolvit
Nexus hemicyclios
Potentia.

10 a. Confessor Leonarde,
Nos, qui sumus mentis tardae,
Malis vinctos evincula,

10 b. Ut multos catenarum
Sic nos a vinclis culparum
Absolve prece sedula,

11. Praestante Dei gratia,
Qui regit unus omnia.

Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. Ohne Melodie.

269. De sancto Leonhardo.

1 a. Eia, fratres, gaudeamus,
Dum hunc diem honoramus
Debitis obsequiis,

1 b. Leonhardus quo beatus
Est susceptus laureatus
In caeli palatiis.

2 a. Iste sanctus gloriosus
Fuit natus generosus
Ex regum prosapia;

2 b. Eius clari genitores
Erant et inter priores,
Quos habebat Francia.

3 a. Rex illustris Clodovaeus,
Quem praefecit Gallis Deus,
In baptismo tenuit,

3 b. Illum sanctum Remigius,
Archipraesul egregius,
Nutrivit ac docuit.

4 a. Hic in pueritia
Literarum studia
Frequentabat iugiter,

4 b. Relecta cotidie
Commendans memoriae
Retinebat firmiter.

5 a. Recusatis omnibus
Pompis et honoribus
Quasi magno onere,

5 b. Expeditus nexibus
Mundi quasi retibus
Cupit pauper vivere.

6 a. Verbum Dei praedicando,
Corda fera mitigando
Exhortationibus

6 b. Sanitatem aegris dabat
Et oppressos liberabat
Ab infirmitatibus

7 a. Munus istud et regibus
Impetrabat hic precibus
Datum sibi largiter;

7 b. Carceratos visitabat,
Visitatos liberabat
Hoc exercens iugiter.

8 a. Dum regina aegrotaret
Et in partu laboraret
Facta morti proxima,

8 b. Flebat rex et domestici
Eius et cuncti aulici
Prae magna tristitia;

9 a. Leonhardus transiens
Et clamores audiens,
Sciscitari gestiens
Causam tanti gemitus,

9 b. Iter coeptum deserit
Mali causam et quaerit,
Quod regina sic perit,
Audit mali territus.

10 a. Videns reginam cubantem
Miseratus aegrotantem
Preces fundit Domino;

10 b. Statim praegnans liberatur,
Omnis dolor effugatur
Cunctorum ex animo.

11 a. Rex praesentat pretiosa
Dona satis et formosa,
Sed sunt illi iam perosa
Munera regalia;

11 b. Partem silvae poscit tantum,
Circuivit ipse quantum
Nocte, sic rex placat sanctum
Xenia per talia.

12 a. Templo silva decoratur,
Et altare consecratur
Et a multis honoratur
Ob eius magnalia.

12 b. Leonharde, serve Dei,
Nos indigni, nimis rei,
Mereamur per te vehi
In caeli palatia.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 5 a, 3 honore AB. — 7 a, 2 hic fehlt AB. — 8 b, 1 sq. domestici u. aulici umgestellt AB. — 10 b 3 Tantorum examine AB. — Nach 12 b, 1 schiebt B ein: Digne famulatus ei.

270. De sancto Lubentio.

1 a. Maiestati sit supernae
Laus et honor ab internae
Mentis nostrae iubilo,

1 b. Angelorum hierarchias
Quae per ternas tetrarchias
Ornat absque nubilo.

2 a. Regna caeli de caverna
Nam conscendit ad superna
Presbyter Lubentius,

2 b. Concrepando symphonias
Caelicas et euphonias
Iubilans decentius.

3 a. Mire contra Rheni cursum
Cymba ferens corpus sursum
Tendit nutu caelico.

3 b. Ad locum praedestinatum,
Ubi corpus tumulatum
Veneratur oppido.

4 a. Non latere
Sed patere
Virtus huius
Potest, cuius
Caelum tenet animam.

4 b. Nam lucerna,
Quam superna
Vis accendit,
Sursum tendit
Lucendo per gratiam.

5 a. Unde sacrae trinitati
Necnon trinae unitati
Vocum modulamina

5 b. Supplicantes immolemus
Et ovantes hymnizemus
Iubilosque carmina,

6. Cum electis
Et perfectis
Intra chorum
Angelorum
Ut cantemus Alleluia.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. A. — Miss. Trevirense imp. absque (Basileae 1490.) B. — Dem Akrostichon „Marcmannus“ begegneten wir bereits Anal. IV, 185.

271. De sancto Lubentio.

1 a. Ad honorem tuum, Christe,
Repraesentet ecclesia,

1 b. Quae et quanta martyr iste
Passus fuit crudelia

2 a. Sub regina Brunelchide,
Quae habebat daemonia;

2 b. Prospice, audi et vide,
Quae sit eius malitia.

3 a. Gaudet damnis alienis
Illius avaritia,

3 b. Divitibus et egenis
Tristis est atque anxia.

4 a. In Francorum proceribus
Infert inimicitias, *
Nobiliores sedibus *
Deponebat et gratia,
Infimis nobilibus *
Dans eorum praedia. *

Hanc beatus Lupentius *
Reprehendens de scelere;

4 b. Iussit servis quantocius
* Sanctum poni in carcere.
*
Memor Dei, non oblitus,
Orationi deditus,
* Dum fuisset in carcere
Positus, Deum colere
* Non cessavit humiliter
Sed orabat fideliter.

5 a. Deus sancto Lupentio
Dixit: esto de praemio
Firmus, notro collegio
Addendus es martyrio.

5 b. Valde laetus efficitur
Et a quibus custoditur,
Dixit dissolutionem
Sui, Dei visionem.

6 a. Vadam, inquit, ad Dominum
Non habens longum terminum.

6 b. Statim custodes carceris
Dicunt reginae et ceteris.

7 a. Hic sanctus, cuius hodie
Celebrantur sollemnia,

7 b. Iam revelata facie
Regem cernit in gloria.

8 a. Illic regina virginum
Transcendens culmen ordinum

8 b. Excuset apud Dominum
Nostrorum lapsus criminum.

9 a. Nos ad sanctorum gloriam
Per ipsius suffragia

9 b. Post praesentem miseriam
Christi perducat gratia.

Miss. Trecense imp. Trecis 1533. — Str. 7 a u. ff. sind der Sequenz Supernae matris gaudia entnommen und unorganisch mit dem vorhergehenden verbunden.

272. De sancta Lucia.

1 a. Lux refulsit actualis,
Toti mundo virtualis,
In effectu nulla talis
Rerum atque nomine.

1 b. Haec Lucia nuncupata
Recte causa dirivata,
Mente, verbo cunctis grata,
Pleno praestat lumine.

2 a. Quam natura sic dotavit
Suis donis et beavit,
Quibus turba rutilavit
Civitatis propriae.

2 b. Cuius vitam intuentes
Vulgo cives amplectentes
Currunt morbo iam medentes
Matris Eutitiae.

3 a. Cum haec templo peroraret,
Claustro lector vocem daret,
Hinc perpendit, ut sanaret
Christus fluxum sanguinis

3 b. Matris suae patientis,
Annis quadris hunc fundentis,
Tam curari cupientis
Arte docti hominis.

4 a. Iam in somnis apparentis
Orans virgo sanae mentis
Vidit vultum adloquentis
Agathae praedulcia.

4 b. Quae confestim nuntiavit,
Quod Lucia postulavit,
Matrem, dicens, liberavit
Tui voti copia.

5 a. Hinc Luciae mitis natae,
Carnis sponso subarrhatae,
Corde tamen Deo datae,
Parens pulsa precibus

5 b. Mundum patris ampliatum,
Quem post dies dabat gratum,
Sponte tulit esse satum
Pauperum in usibus.

6 a. Post haec sponsus dictis favit,
Quibus nutrix eum pavit,
Unde sponsam accusavit
Iudici Paschasio.

6 b. Cum qua diu altercatur,
Praeses victus malignatur,
Iussit spurcus, ut tradatur
Turpi lenocinio.

7 a. Sed, cum multi contrectarent
Fune sanctam, adligarent
Terrae, licet laborarent,
Noys fixit gratia.

7 b. Iudex nequam, furibundus
Magis quaerit ut profundus,
Quibus fudit ut immundus
Olei hanc copia.

8 a. Inde bobus temptaretur,
Multis trahi moreretur,
Pix, resina liqueretur
Eam iussit oleo.

8 b. Quamvis virgo foret pressa,
Numquam tamen his defessa,
Donec ense dire laesa,
Constans fuit adeo.

9 a. Ob hoc tiro catenatus
Per hanc plebi prophetatus
Romae fuit captivatus
Sui iuris meritis.

9 b. Eia, martyr solidata,
Sertis trinis coronata,
Perduc reos ad optata
Lapsis suis debitis.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustan. imp. Caesaraugustae 1498. B. — 4 b 1 Qui AB. — 4 b, 3 ducens AB. — 6 b, 1 Cum quamdiu AB. — 9 a, 3 capitatus A. — Der Text bleibt vielfach recht dunkel.

273. De sancto Lucio.

1. Laus creatori
saeculorum cunctorum,
redemptori
omnium iustorum,

2 a. Veniae datori
virtus, magnificentia,

2 b. Cui flectit genu
orbis trina machina.

3 a. Qui sub peccato
conclusos
reparat gratia,

3 b. Nullum dedignans
supernis
miscuit gaudiis.

4 a. Ad supplementum
ordinis lapsi
dragmam quaerit dudum
perditam,

4 b. Sumpsit lucernam,
domo eversa
supernis monstravit
civibus.

5 a. Gaudium
umeris
ovis vecta propriis
tribuit angelis.

5 b. Timotheum
Galliarum
Paulus mittit partibus
luminis baiulum.

6 a. Ubi, quae sunt oves
erraticae,
reddidit aulae
Christi montivagas;
laetetur, exsultet
trina Gallia
de tanta gratia.

6 b. Fonte abluitur
vivifico,
nascitur Christo,
[sed] mundo moritur,
quem Christus iucundo
fovet gremio
patris in solio.

7 a. Surge, Britannia,
soporis longi
depressa ignavia,

7 b. Nuntia Lucio,
quod venit vita,
nocti successit aurora.

8 a. Stans Thimotheus
dat verba vitae,
rex audit anxius
de salute.

8 b. Idola spernens
se fonti vitae
cum suis contulit
sitiens.

9 a. Hinc baiulus
crucis Christi
mundi fluctus
nudus evasit,

9 b. Cum patria
terra linguens
parentes, co-
gnatos, affines.

10 a. Augusta Vindelica
excipit avida
tanti dogma patris
ac regis
relinquens idola.

10 b. O quam felix Curia,
Rhaetiae civitas,
talem se praeconem
habere
gaudens a Domino!

11 a. Mente devota,
tanti pignoris
alumna,
digna concrepa
cantica.

11 b. Mersas qui fonte
feras mitigat
agrestes
hominesque facit
caelestes.

12. Regi regum
nunc laudes canamus,
ut superis
nos iunctos concivibus
regno dignetur suo.

Miss. ms. Sangallense saec. 15. Cod. Sangallen. 337. A. — Sequent. ms. Sangallense anni 1567. Cod. Sangallen. (Brander) 546. B. — 1, 3 redemptori fehlt A. — 2 b, 1 sq. flectis orbis genu A. — 3 a, 2 conclusus A. — 4 a, 3 iam dudum A. — 6 a, 1 Ubi quaesivit oves A. — 8 b, 2 forte vitae B. — 8 b, 4 sciens B. — 9 a, 2 Christo B. — 9 b, 1 Dum A. — 10 a, 1 Augusta Verdolita A; Augusta eum lita B. — 10 a, 5 linquens A. — 11 b, 1 Mersos A; Mersaque B. — Melodie: Iucunda. — Die Sequenz fehlt bei Daniel V hinter Nr. 207.

274. De sancto Marco.

1. Gaudeant cunctae
partes Europae,

2a. Magis haec nostra,
quam colimus,
Germania;

2b. Laetetur istis
sed maxime
Augia sollemniis,

3a. Quae sanctum suo
evangelistam

3b. Meruit sinu
Marcum fovere.

4a. Quem propheta vidit
futurorum praescius

4b. Quattuor vultuum
animalium unum.

5a. Iohannes
quem virgo
mysteriarches

5b. Caelestium
scripserat
esse leonem.

6a. Celsa quaternorum
columna mundi
hic ceu procerum,

6b. Miracula Christi
scriptitando qui
sparsere orbi.

7a. Salve, o principis
apostolorum tu
amor, Marce,
Alexandriae gloria,

7b. Anni quem tempora
polique climata
monstrant quadra
a primordiis saeculi.

8a. Nunc fortis tropaeum
celebremus athletae,

8b. Quem praesens lux solis
nostris advexit votis.

9a. Vita, mores nostri
eius donentur preci,

9b. Sentiamus suum
ut semper suffragium

10. Cuncti sanctorum coetui.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 7b, 1 Anni quos; entweder ist quem zu lesen, oder 7a und 7b sind umzustellen. — Melodie: Iustus ut palma (minor).

275. De sancta Margareta.

1a. Laus tibi, Christe,
fili Dei unigenite,

1b. Cum patre qui regnas
in unitate paracliti.

2a. Quem agnum sequuntur
agmina virginum,
quocunque ierit,

2b. Nomen tuum et patris
in suis frontibus
scriptum habentia.

3a. Inter quas haec virgo candet
virginitatis lilio

3b. Et rubet roseo vultu,
rubicunda martyrio.

4a. Nomen cuius
ab evangelica
tractum est margarita,

4b. Quam inventam
venditis omnibus
emit negotiator.

5a. Haec tua, Christe, speciosa
tecum delectatur
in hortis aromatum;

5b. Haec tuum ingressa thalamum
tuae visionis
gratia iucundatur.

6a. Quam pro nostris excessibus
apud te semper
intercedere poscimus,

6b. Ut mundati criminibus
aeternam mortem
praevenire possimus.

7a. Ut ipsa duce praevia
vestibus in albis
te mereamur sequi
per portam aeternalem,

7b. Ut illuc eius merita
nos levent ad alta,
quos nostra mala trahunt
ad portam infernalem.

8a. Ergo, Christe, rex aeternae
gloriae,
memor in nobis
tuae sis Margaretae,

8b. In cuius iucunditatis
gaudio
caelestis aulae
concinunt symphoniae:

9. Laus tibi, Christe Domine.

Miss. ms. Agriense anni 1394. Cod. Capit. Agrien. U² VI 5. — 4a, 2 sq. Tractum est ab evangelica. — 4b, 1 inventa. — 5a, 3 mortis aromatum; aus *in ortis* ist *mortis* verschrieben. — 6b, 3 pervenire. — 9b, 4 symphonia.

276. De sancta Margareta.

1a. Margaretam collaudemus,
Eius festum celebremus,
Laudes Deo personemus
Cum dulci melodia.

1b. Olybrium non expavit,
Diabolum conculcavit
Et tyrannos superavit
Fidei constantia.

2a. Hanc glutire fuit ausa
Fera, cuius ventre clausa
Fuit, sed crux erat causa
Salutis in virgine.

2b. Haec secuta Christi nomen
Christianis fit solamen,
Vitae non amisit omen
Deum sequens lumine.

3a. Caeli cives adfuerunt
Eius morti, condiderunt
Eius corpus et tulerunt
Spiritum in gloria.

3b. Ipsam ergo deprecemur,
Ut in caelis collocemur
Et cum Deo gloriemur
Per eius suffragia.

Miss. Turonense imp. Rotomagi 1493. A. — Miss. Cenomanense imp. Parisiis 1559. B. — 3a, 2 condiverunt A. — Melodie: Verbum bonum.

277. De sancta Margareta.

1a. Gaudet chorus angelorum
In ascensu beatorum
Ad caelestem curiam;

1b. Gaudet illuc transplantatus,
Quod ultra nullam beatus
Accipit iniuriam.

2 a. Huius mundi fame spreta
Epulatur Margareta
In caeli conviviis.

2 b. Iubar aeterni speculi
Spectans laetatur saeculi
Despectis lasciviis.

3 a. Suae pascens haec nutricis
Gregem in campis apricis
Exsufflat Olybrium;

3 b. Spretus ab opilione
Dolet tamquam in agone
Positus ludibrium.

4 a. Mittitur in tenebrosa,
Hostis ubi rabiosa
Destruit consilia.

4 b. Revocatur ad praefectum,
Vitae sprevit haec defectum
Christi per auxilia.

5 a. Mira huius mens puellae,
Quam non fregit vis procellae,
Ut pareret sceleri.

5 b. A tyranno imperatur,
Ut de terra eradatur
Illa morte celeri.

6 a. Huius virgo iussionem
Sprevit, ut sprevit rufonem
Cum mentis constantia.

6 b. Christus ipsam superare
Docuit et exsufflare
Nefas ab infantia.

7 a. Petit virgo moritura,
Sit maestorum Christo cura
Ipsam invocantium;

7 b. Quod sint eius preces ratae,
Ferunt voces sursum natae
Ad aures astantium.

8 a. O beata Margareta,
Posce, Christi nos ut laeta
Subsequatur gratia.

8 b. Huius, Christe, intercessu
Nos mundatos ab excessu
Tuo vultu satia.

Grad. ms. Montis S. Mariae saec. 13/14. Cod. Guelf. 542 (Helm. 502). — 2 a, 2 Epuletur. — 5 b, 2 e terra deradatur.

278. De sancta Margareta.

1 a. Veneretur unitas,
Collaudetur trinitas
Pari reverentia,

1 b. Deus trinus in personis,
Mirae tamen rationis
Unus in essentia.

2 a. Qui caelestis gloriae
Margaretam hodie
Duxit ad palatium;

2 b. In tormentis virgini
Paranymphus Domini
Praebuit solacium.

3 a. Vana mundi respuit,
Christum solum coluit
Virgo prudentissima;

3 b. Signis cum virtutibus
Ac diversis laudibus
Claruit sanctissima.

4 a. Ista virgo stabilis
Et nunquam mutabilis
Ligavit daemonium.

4 b. Casta mori voluit,
Hinc tyrannus doluit,
Sprevit matrimonium.

5 a. Virgo benignissima,
Virgoque dulcissima,
Vernans quasi lilium,

5 b. Iugiter pro populo
Degenti (iam) in saeculo
Roga Dei filium.

6. Amen dicant omnia.

Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. A. — Miss. Trevirense imp. absq. (Basileae 1490). B. — Melodie wohl: Veni sante spiritus.

279. De s. Maria Magdalena.

1 a. In caelesti hierarchia
Novi cantus harmonia
Congaudendo resonet;

1 b. Huic concors melodia
Nostri chori pro Maria
Deo laudes intonet.

2 a. Olim quidem vas foetoris
Magdalena, vas odoris
Data est ecclesiae;

2 b. Synagoga vitiorum
Dedicatur templum morum,
Virtutum et gratiae.

3 a. Dum se sentit infici
Ex morbo multiplici
Deo iam defuncta,

3 b. Festinat ad medicum
Ferens aromaticum
Vas, corde compuncta.

4 a. In fervore sanctae spei
Domum intrat pharisaei
Plorans inter epulas;

4 b. Christi pedes ungit, tergit,
Mysteriis mox extergit
Mentis eius maculas.

5 a. Flavit auster et fugavit
Aquilonem, dum purgavit
Septem eius vitia;

5 b. Ubi nefas inundavit,
Ibi superabundavit
Multiformis gratia.

6 a. Patri nonaginta novem
Derelictis Christus ovem
Cum dragma restituit.

6 b. Terra siccae vastitatis
Hortus mirae voluptatis
Hodie refloruit.

7 a. O quam felix femina,
Quam post tot discrimina
Amor sic incendit;

7 b. Cui primum prae ceteris
Revertens ab inferis
Se Christus ostendit.

8 a. Fletus, fusum ter unguentum
Probant ignem violentum
Penetrantem intima.

8 b. Spernens omne blandimentum
Non reliquit ad momentum
Christum eius anima.

9 a. Non es, mater, spe fraudata,
Quae nunc gaudes iam dotata
Cum supernis,

9 b. Ubi hauris, quod sitisti,
Et dilecti tui Christi
Vultum cernis.

10 a. Ergo, dulcis Magdalena,
Per te reis fluat vena
Salutis et veniae,

10 b. Ut post mortem agni cena
Perfruamur in amoena
Beatorum requie.

Miss. Praedicatorum imp. Neapoli 1483. A. — Miss. Lausannense imp. Lausannae 1493. B. — Miss. Lausannense imp. Gebennis 1522. C. — 3 b, 2 fehlt A. — 4 b, 1 pedes figit BC. — 5 b, 1 emundavit BC. — 6 a, 2 Derectus Christus C. — 8 a, 1 Fletus sulsum C. — 8 b, 1 Spernans A. — 9 a, 1 Non est C. — 10 b, 2 Perfruatur A; Fruamur BC. — Vgl. Pellechet, 343. — Melodie: In caelesti hierarchia.

280. De sancta Marina.

1 a. Verbum bonum eructavit
Virgo, quae se consecravit
Regi Christo, quem amavit,
Margarita regia.

1 b. Ista prudens est Marina,
Mari firma stans carina,
Pulchra rosa sine spina,
Margarita regia.

2 a. Dedicata Deo vero
Pulchre pugnat cum austero
Hoste mitis et severo,
Margarita regia.

2 b. Preces spernit eius mille,
Poenas ridet, quas dat ille,
Bonae mentis et tranquillae,
Margarita regia.

3 a. Tenebrosa sistens aede
Visionis hostem foedae
Luscum reddis terens pede,
Margarita regia.

3 b. A dracone post absorpta,
Cruce ventris rupta porta
Prodis inde velut orta
Margarita regia.

Brev. ms. Zamorense saec. 15. Cod. Capit. Zamoren. s. n. — 3 b, 3 Prodis idem. — Melodie offenbar: Verbum bonum et suave. — Marina nur andere Namensform statt Margareta.

281. De sancta Martha.

1 a. Ad honorem sanctae Marthae
Personent ex nostra parte
Cantica suavia.

1 b. Omnes ergo iucundemur
Nec ab huius sequestremur
Diei laetitia.

2 a. Stirpe clara generata
Erat docta, timorata,
Moribus eximia.

2 b. Huic Sirus fuit pater,
Princeps magnus, sic et mater
Dicta est Eucaria.

3 a. Quos divina
Prole trina
Fecundavit gratia:

3 b. Sunt Lazarus,
Deo carus,
Fratres Martha, Maria.

4 a. Istos tres qui genuere,
Vere beati fuere,
Et, quae eos lactavere,
Ubera felicia.

4 b. Ipsos Iesus diligebat
Et hoc satis ostendebat,
Cum ad horum veniebat
Saepius hospitia.

5 a. Ibi nocte quiescebat,
Ibi sero capiebat
Corporis cibaria.

5 b. Iam peccata condonantur
Mariae, ac effugantur
Ab ea daemonia.

6 a. Martha votum castitatis
Servans hospitalitatis
Et totius pietatis
Exhibet officia;

6 b. Omni namque venienti,
Locupleti vel egenti,
Beneficia petenti
Praebet necessaria.

7 a. Dum Lazarus infirmatur,
Christus venire moratur,
Sed mors venit praevia;

7 b. Iesus venit, et monstratur
Locus, ubi tumulatur,
Solvuntur sudaria.

8 a. Tremit exanimis
Spiritus, intimis
Membris refunditur,
Defunctus oscitat
Et caros visitat,
Ad quos revertitur
Verbi potentia.

8 b. Iam cuncto populo
Viso miraculo
Fit magnum gaudium,
Praesentes aderant
Multi, qui viderant
Istud prodigium,
Perit tristitia.

9 a. Draco ferox et astutus
Victus stetit atque mutus,
Nec resistit ferienti
Plebi nec se perimenti,
Marthae pressus fascia.

9 b. Cum ad Martham transgreditur
Puer, in amne moritur;
Marthae cadaver sistitur,
Statimque vita redditur,
Dum orat virgo pia.

10 a. Ora pro nobis, domina,
Dimittat ut peccamina
Nobis regens omnia,

10 b. Prece tua emundatos
Nos et sanctis sociatos
Collocet in gloria.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 1 a, 2 Personet AB — 9 a, 1 ferox cera scutus A; cira scutus B. — 9 a, 4 Plebe AB. — 9 b, 2 inanne A. — 9 b, 3 Martha AB.

282. De sancto Martino.

1 a. Gloriosus
Christus, rex humilis,
In Martino
fuit mirabilis,

1 b. Nam Martinus
caelesti gratia
Repletus fecit mirabilia.

2 a. Hic hiemali frigore
vexatum miles miserum
Vestivit parte chlamydis
Martinus, amor pauperum.

2 b. Sequenti nocte pallio
tectus dicebat Dominus:
Hanc vestem mihi tradidit
Martinus catechuminus.

3 a. Mundus mundi divitias
odio semper habuit
Et cum sanctis paupertatem
pauper dilexit, coluit.

3 b. Post dimisit militias
datus Dei servitio,
Vires frangebat corporis
vigiliis, ieiunio.

4 a. Suscitavit tres mortuos
in virtute trinitatis,
Latronem fidem docuit
seminator veritatis.

4 b. Devoratores piscium
mergos vidit in flumine:
„Fugite, forma daemonum“;
facto recedunt agmine.

5 a. Sacro perunctum oleo
Mutum loquentem reddidit,

5 b. Plebs gavisa miraculo
In Iesum Christum credidit.

6 a. Iste suum
praescivit obitum,
Quod cum fuit
fratribus cognitum,
Dolor parit
fletus et gemitum.

6 b. Ne deseras
nos, clamant filii,
Grex tuus est
expers consilii,
Hunc invadunt
daemones impii.

7 a. Ad haec sanctus maerens
respondit anxius:
Si populo tuo
sum necessarius,
Velle tuum doce,
Deus propitius.

7 b. Deus dixit: audi,
fili, consilium,
Hoc est velle meum,
accipe bravium,
Vitam perpetuam,
victoris praemium.

8 a. Martinus igitur
Ad nutum Domini
Caelos ingreditur,

8 b. Cum sanctis fratribus
Caelorum civibus
Laetus suscipitur.

9 a. Tu, qui vides Christum
In patris sinibus

9 b. Et es ante Deum
Cum senioribus,

10. Ora, sancte praesul,
Pro peccatoribus.

Grad. ms. montis S. Martini anni 1426. Cod. Capit. Scepusien. s. n. 2 a, 2 vexatur. — 3 a, 4 et coluit. — 3 b, 4 ieiuniis. — 4 b, 2 mersos. — 4 b, 3 Dixit: *fugite formam daemonum*. Zwei Silben zu viel; wahrscheinlich ist zum leichteren Verständnisse dixit eingeschoben. — 4 b, 4 recedit. — Die ganze in 4 b berührte Erzählung lautet in der Historia Lombardica: Pergens ergo vidit mergulos in flumine piscibus insidiantes et quosque capientes. Forma, inquit, haec daemonum est. Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, saturari nequeunt devoratis. Imperat igitur, ut relicto gurgite desertas peterent regiones. Statimque grege facto montes silvasque petierunt. — 6 a, 5 perit. — 6 a, 6 gemitus. — 6 b, 5 Hanc. — 7 a, 2 anxium.

283. De sancto Martino.

1 a. Honorandus est Martinus,
Quem recepit sanctus sinus
In caelesti patria,

1 b. Honoratur hic a Christo,
Dum de mundo migrat isto
Victurus in gloria.

2 a. Quam devotus, quam benignus
Et quam fuit Deo dignus,
Eius probant opera,

2 b. Largus fuit et iucundus,
Mente, verbo, carne mundus,
Pia gestans viscera.

3 a. Hic in fide trinitatis
Mortuorum trium gratis
Suscitavit corpora,

3 b. Quod de raro confessore
Tale monstrum factum fore
Nostra ferunt tempora.

4 a. Restitutor luminum
Hic fuit caecorum,
Pius indigentium
Pater orphanorum,

4 b. Speculum ecclesiae,
Splendor monachorum,
Regula iustitae,
Stimulus malorum.

5 a. Clarus vita,
sed morte clarior,
Nam post mortem
lacte candidior
Eius caro
et vitro purior
Permanebat.

5 b. Ad hoc funus
praesul egregius
Celebravit
missam Ambrosius,
Corpus eius
semotum longius
Dormiebat.

6 a. O Martine,
pastor egregie,
Preces sanctae
matris ecclesiae
Offer Christo
in arce gloriae

6 b. Et nos tecum
concede tendere,
Quo tu miles
dignus es scandere,
Ut post mortem
possimus vivere,

7. Ubi sanctus quisque fideliter
Honoratur.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis 1496. B. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. C. — 5 b, 5 Cuius corpus B. — Str. 7 fehlt AC.

284. De sancto Martino.

1 a. Adest dies omni mundo
veneranda,

1 b. Qua Martinus sacerdotum
migrat gemma.

2 a. Cuius vita rutilavit
quantum lucidissima,

2 b. Mors testatur in conspectu
Dei probatissima.

3 a. Nam cum mundi esset hospes,
Cuius status non est sospes,
Eius sprevit gaudia.

3 b. Nec arentis affectavit
Fructus, quia non amavit
Blandimenta noxia.

4 a. Sibi vilis, Deo carus,
Dispensator non avarus
Regna pavit proxima,

4 b. Servus prudens et fidelis,
In conservos non crudelis,
Erogavit plurima.

5 a. In virtute trinitatis,
Ope fretus deitatis
Signa fecit maxima,

5 b. Terna reddens miserorum
Vitae plasta mortuorum
Lege potentissima.

6 a. Subiectos nequam spiritus
Suppeditavit penitus
Gloria deifica,

6 b. Quibus potens imperavit,
Ab obsessis effugavit
Manu pulsos caelica.

7 a. Post agonum tot labores,
Quibus vitae carpsit flores,
Vocatus ad praemia,

7 b. Dubitavit, quid optaret,
An discipulos iuvaret,
An se, mente anxia.

8 a. O virum ineffabilem
Virumque invincibilem
Carne atque anima,

8 b. Quem nec mors dira terruit,
Nec vitae gravis taeduit
Cura pressum ultima.

9 a. O Martine, pastor pie,
claustra nobis supera

9 b. Patrem prece meritoque
exorando resera.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 3 a, 2 Eius status. — Nach Strophe 9 folgte noch eine Strophe, die völlig abgescheuert ist.

285. De sancto Mauritio.

1 a. Victimas reddamus laudes
inclito martyrum regi,

1 b. Qui Thebaeae legionis
illustres elegit tirones.

2 a. Magnus redemptor orbis
victum adligavit
praedamque electam
acquisivit.

2 b. Verus Israel Christi
gratia ex Aegypto
ductus idolatriae
sprevit ritus.

3 a. Mauritius, princeps
militiae clarissimae,
Armatus fide, non ferro,
praecedit sanctos vim
patiendo.

3 b. Colla tradunt omnes
sub gladio aequanimes;
Mactatur Christo grex sanctus,
sacratur Gallia sanctis
cruoribus.

4 a. Caeli laetantur cives in
Thebaeorum triumphis,
congaudent angeli
animabus susceptis.

4 b. Te nunc, Christe, collaudamus,
qui es martyrum virtus,
tu solus potens rex
dominaris, regnas.

Grad. ms. S. Michaelis Nordhusen. saec. 15. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 3 a, 4 procedit. — 3 b, 4 sacratur galea. — Melodie: Victimae paschali laudes, aber nachlässig gehandhabt.

286. De sancto Mauritio.

1 a. Harmonia musicorum
Perdulcia canticorum
Prodat modulamina,

1 b. Ducis pii Thebaeorum
Mauritii et suorum
Collaudans certamina.

2 a. Hic Thebaeae regionis
Dux rubeae legionis
Deduxit exercitum

2 b. Per vim dirae passionis
Ad futurae visionis
Dei laetum transitum.

3 a. A patria convocantur,
Ad impia provocantur
A Maximiano,

3 b. Nec a piis revocantur
Nec impiis implicantur
Edicto profano.

4 a. Christianos se testantur
Et profanos detestantur
Cultus idolatriae,

4 b. Hortantur et confortantur,
Animantur et armantur
Virtute constantiae.

5 a. Maximianus turbatur
His insanus, decollatur
Legionis decimus;

5 b. Furor eius iteratur
Agens peius, augmentatur
Sanctis ardor intimus.

6 a. Arma legio deponit,
Caput gladio supponit,
Decollatur pariter.

6 b. Animas caelo reponit
Deus, coronas imponit,
Et regnant feliciter.

7 a. Felix situs Agaunensis,
Fluctus citus Rhodanensis
Sacro fluens sanguine;

7 b. Urbs beata Viennensis,
Ducis ditata Thebensis
Capitis munimine.

8 a. Sancti fractis corpusculis
Fulgent factis miraculis,
Faber punitur nocuus,

8 b. Salvant ab orbis vinculis,
Plagis, morbis, periculis,
Matri decantat mortuus.

9 a. Ad istorum instantiam
Peccatorum det veniam
Nobis rex angelorum

9 b. Et septiformem gratiam
Et deiformem gloriam
Per saecula saeculorum.

Missale Gratianopolitanum imp. Gratianopoli 1532. — 3 a, 1 convocatus. — 3 a, 2 provocatur. — 3 b, 3 Edito. — 7 a, 2 Fluctus situs. — 7 b, 2 Ditata ducis. — Zu beachten der Binnenreim; die Herkunft der Sequenz zeigt 7 b, 1.

287. De ss. Maximo et Venerando.

1 a. Ad celsi regis gloriam
Pangat chorus melodiam,
Qui in sanctis mirifica
Operatur magnalia.

1 b. Per quos suis multimoda
Largitur beneficia,
Vocans multos ad gaudia,
Quae dat iustis perennia.

2 a. Inter quos fratrum gloria
Clarescit et victoria,
Qua gentium ludibria
Vicerunt et sculptilia.

2 b. Quorum Maximus fulgida
Pontificali infula
Et Venerandus titulo
Diaconii emicat.

3 a. Nobilitatis linea
In urbe clara Brixia
Patre Magno sunt geniti
Et genetrice Cassia.

3 b. Hos sanctus papa Damasus
Sacrans ordinis gratia,
Ut verbo Dei repleant
Mittit gentium intima.

4 a. Qui dum mentes ad dogmata
Convocarent caelestia,
Urget iudex Vitalius,
Ut sua colant idola.

4 b. Contemnentes immania
Trahuntur ad supplicia,
Ungulis in suspendio
Membra secantur tenera.

5 a. Sed mox ipsorum precibus
Franguntur falsa numina,
Rediguntur in pulverem,
Pravorum stupent agmina.

5 b. Hinc fornacis incendia
Subeunt nimis valida,
Quibus confestim adfuit
Iesu Christi praesentia.

6 a. Cuius virtute plurima
Combusta turba impia,
Sancti illaesi exeunt
Deo dantes magnalia.

6 b. Rotis ligati postea
Magna ferunt supplicia,
Rursus oblati bestiis
Servantur Dei gratia.

7 a. Hos dehinc clausos carcere
Eduxit virtus caelica,
Quibus mox iubet angelus,
Ut petant arva Gallica.

7 b. Qui dum mente promptissima
Accelerant itinera,
Ad laudem Dei plurima
Operantur magnalia.

8 a. Nam vitae tria corpora
Reddunt luce carentia,
Contractis vires referunt
Et tribus caecis lumina.

8 b. Flumen Sequanae transeunt,
Desunt navis vehicula,
Persecutorum plurimos
Unda submergit reflua.

9 a. Tandem in quadam insula
Aquigniaco proxima
Pro Christo caesi propria
Ferunt tumulis capita.

9 b. Ter deni et bis quattuor
Cum his de turba impia
Tunc conversi ad Dominum
Susceperunt martyria.

10. Horum nos, Christe, precibus
A cunctis malis libera
Et da laetari iugiter
Cum his in aula caelica.

Miss. ms. Fontanellense saec. 14. Cod. Rotomagen. 304. A. — Miss. ms. Ebroicense saec. 15. Cod. Ebroicens. 99. B. — Miss. Ebroicense imp. Rotomagi 1497. C. — 3 a, 1 Nobilissimi C. — 3 a, 2 Brixea A. — 4 b, 1 insania A. — 6 a, 4 Deo dantur BC. — 6 b, 1 Totis ligatis BC. — 7 b, 4 miracula C. — Ohne Auffindung der Melodie ist es bei den Abweichungen der Handschriften nicht möglich, festzustellen, ob die Halbstrophe aus zwei oder vier Versen sich aufbaut.

288. De sancto Medardo.

1 a. Confessorum candidatrix
Martyrumque rubricatrix
Caelos ornat gloria,

1 b. Hos coronat horror gravis,
Illos poena maior quavis
Longa patientia.

2 a. Virtus velox in Medardo
Non accessit passu tardo,
Sed a pueritia

2 b. Aequum reddit datum ante,
Pio ludens cum infante
Dei sapientia.

3 a. Pressa cedit pedi petra,
Hunc per udum regit aethra
Tensis alis aquila;

3 b. Surgens aetas post minora
Non declinat, nec aurora
Desipit in nubila.

4 a. Sed gradatim gratiosus
Fit sacerdos gloriosus
Gaudente Vermandia;

4 b. Plebis currus et aurigae
Vim senserunt fixae bigae
Praedae cum iniuria.

5 a. Parvus parvis, magnis magnus,
Pastor constans, mitis agnus,
Ope fulsit plurima;

5 b. Ad supernae centrum spherae
Sphaera missa lucis verae
Transit linquens infima.

6 a. Ut moveret sacrum funus,
Bis repulsa binum munus
Manus dedit regia.

6 b. Pulso Iano servat ibi
Cunctis patrem, corpus sibi
Regalis ecclesia.

7. Serva, pater, tuos tibi
iungendos in patria.

Miss. ms. Virdunense saec. 15/16. Cod. Virdunen. 99.

289. De sancto Michaele.

1. Agminis
archangelo noveni

2 a. Celebret festum
devotio
christiana,

2 b. Cuius tutelae
commissus est
populus Iudaeorum,

3 a. Quocunque late
ductus legitur,

3 b. Designant libri
ut prophetiae.

4 a. Nam ecclesiae nunc praesul
disponit actus,

4 b. Quae peregrinatur fluctu
labentis saecli,

5 a. Debellans hostium
incursiones

5 b. Apud Deum precibus
cotidianis.

6 a. Proelia facturus
in fine mundi
congredietur

6 b. Adversus omnium
caput malorum
„quis sicut Deus".

7 a. Tandem victoriam
perempto
dracone sumens pacem
orbi conferet perpetem.

7 b. Sancte archangele
Michael,
nostrae succurre vitae,
recta scandamus ut via.

8 a. Cum distinctis choris
angelorum omnium

8 b. Repelle ignita
vitiorum iacula,

9 a. Concives ut simus
futuri spirituum

9 b. Sanctorum in caelis,
qui pura caritate

10. Semper collaudant factorem.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 2 b, 3 und 5 b, 1 Silbenüberschufs wie in der Stammsequenz. — 6 a, 3 congreditur. — 7 a, 4 confert. — Melodie: Iustus ut palma [minor].

290. De sancto Michaele.

1. Dulce, contio sacra,
vox nostra
sonet Alleluia,

2 a. Regem laudans
regum vasta
per orbis spatia,

2 b. Qui media
mire, ima
regit et supera,

3 a. Caelum, terram, maria
et cuncta, quae
sunt in eis condita,

3 b. Exercetque propria
semper in his
pia moderamina.

4 a. Intendat, en, cantica
residens
in arce siderea,

4 b. Quae nos ad praeconia
canimus
primatis insignia.

5 a. Nunc ergo, sancte
Michael, vocis organa
iam considera
consona
nostra, sanctissime,
quae tibi reddimus debita.

5 b. Omnis haec te nunc
expostulat subdita,
quo largissima
Domini
misericordia
per tua nos salvet merita,

6 a. Tollens pie gravia
nobis pariter atque
levia precamina,

6 b. Ut, quae sunt grata sibi,
nos divina faciat
operari gratia.

7 a. Nec ultra
horribilia
temptamenta
praevaleant
ad caenosa
pertrahere
hostis vesani
contagia,

7 b. Sed clara
servent merita
nos per saecla
angelica
inter ista
multimoda
istius aevi
discrimina.

8 a. Ut mereamur fulgida,
archangele,
te duce scandere aethera,

8 b. Perpetue concrepantes
dulcisona
iubilando melodemata,

9 a. Qui potens in aeterna
laetaris gloria

9 b. Caelicolarum inter
principans agmina.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 5 a, 4 sq. nostra consona.

291. De sancto Michaele.

1 a. Recolendo Michaelis
Visitantis nos de caelis
Indictam memoriam,

1 b. In confinio Sipontis,
In Gargani parte montis
Celebrem ecclesiam,

2 a. Ad honorem angelorum
Novem ordinum sanctorum
Laetatur ecclesia,

2 b. Ut eorum victis sonis
Nostrae pravitatis thronis
Dulcis sit symphonia.

3 a. Postulemus ergo Christum,
Mittat sanctum chorum istum
Nobis in auxilium,

3 b. Angelos comprovisores,
Archangelos relatores
Donorum caelestium.

4 a. Operemur per mandatum
Virtutum ac potestatum
Tueamur nutibus,

4 b. Principatibus regamur,
Humilibus reprimamur
Dominationibus.

5 a. Habeamus pacem throni,
Cherubim totius boni
Dat intellegentiam,

5 b. Caritate repleamur
Seraphim, ut consequamur
Peccatorum veniam.

6 a. Ordines ergo cunctorum
Simul omnes beatorum
Laudemus spirituum,

6 b. Ut per hos culpae tergantur,
Singulorum dirigantur
Operaque manuum.

7 a. Sic colamus festum horum,
Intersimus ut eorum
Festis in caelestibus.

7 b. Hoc det pater, hoc det natus,
Hoc amborum donet flatus
Devote poscentibus.

Miss. Abulense imp. Salmanticae 1510. — 5 a, 3 Dat nicht zu korrigieren! — 7 a, 1 Si colamus.

292. De sancta Monica.

1 a. Decantemus venerantes
Et optata celebrantes
Hodie sollemnia;

1 b. Mater casta, fide gnara,
Vita clara, Christo cara,
Haec beata Monica.

2 a. De profano propagatum
Ipsa parit suum natum
In fide catholica,

2 b. Felix imber lacrimarum,
Quo effulsit tam praeclarum
Lumen in ecclesia.

3 a. Multo fletu seminavit,
Germen uber reportavit
Metens in laetitia.

3 b. . . . .
. . . .
. . . .

4 a. Plus accepit, quam petivit.
O quam miro tunc gestivit
Spiritus tripudio,

4 b. Cernens natum fide ratum,
Sed et Christo iam sacratum
Toto mentis studio!

5 a. Haec egenis ministravit
Et in eis Christum pavit,
Mater dicta pauperum,

5 b. Curam gerens infirmorum
Lavit, stravit et eorum
Tersit sordes vulnerum.

6 a. O matrona gratiosa,
Quam transfigunt amorosa
Crucifixi stigmata!

6 b. His accensa sic ploravit
Lacrimisque irrigavit
Pavimenti schemata.

7 a. Pane caeli saturata
Stat a terris elevata
Cubiti distantia,

7 b. Mente rapta exsultavit,
„Volitemus“ exclamavit,
„Ad caeli fastigia“.

8 a. Eia, mater et matrona,
Advocata et patrona
Sis pro tuis filiis,

8 b. Ut, dum carne exuemur,
Nato tuo sociemur
Paradisi gaudiis.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 2 a, 2 Idem parit. — Die Melodie von 3 a, 4 a und 4 b ist dieselbe; doch beweist der Reim den Ausfall einer Strophe. — Melodie: Gaude Sion quod egressus.

293. De sancto Narcisso.

1 a. Fidelis turba Christi
de martyris victoria

1 b. Narcissi collaetetur,
qui vicit hostis proelia.

2 a. Legem fidei,
per quam novit verbum Dei,
docens cum gratia

2 b. Convertit Afram,
idolatram, fide iustam
ab iniustitia.

3 a. O quam fortis dilectio
et invicta constantia!

3 b. Quam praeclara confessio,
quam iusta patientia!

4 a. Per Narcissum Afra
conversa
subit gaudens martyria.

4 b. Docturus properat
Gerundam
martyr, cuius sollemnia

5 a. Per mundum hodie
colit ecclesia

5 b. Commendans meritum
laeta de gloria.

6 a. Vitae novae fructum
dant evangelia,

6 b. Quem praedicat iustus
cum fiducia.

7 a. Ergo preces nostras
eius clementia

7 b. Deo repraesentet
data venia.

8 a. Cuius virtutum merita
colunt, laudant
humana et caelestia.

8 b. Ante conspectum Domini
nos adiuvent
illius suffragia.

9. Laus, honor regi,
qui regit omnia.

Brev. ms. Gerundense saec. 14/15. Cod. Capit. Gerunden. 3. — 4 b, 2 sq. martyr Gerundam. — 5 a, 2 et ecclesia.

294. De sancta Natalia.

1. Exsultantes iubilemus,
Cordis oris incitemus
Incessanter organa.

2 a. Coniugatae resonate
Paenitendo, confitendo,
Rea mens et lingula.

2 b. Ut sequamur, quae miramur,
Nataliae pia piae
Vivendo vestigia.

3 a. O quam digne praedicanda,
Quam benigne veneranda
Nataliae merita,
Quae calcando vallem cum lacrimis,
Inhiando supernis gaudiis,
Sprevit saecularia.

3 b. Haec praedives largitati,
Praepotens humilitati
Studuit aequaliter;
Sociata tyranno coniugi
De tyranno florem martyrii
Produxit feliciter.

4 a. O legales, o beatae,
O recenter celebratae
Nataliae nuptiae,

4 b. O mirandum sponsae votum,
Sponsa sponsum vix iam notum
Poenis gaudet tradere.

5 a. Nec mundana blandimenta
Nec carnis delectamenta
Quaerit a coniugio,

5 b. Sed amore spiritali
Plena trahit a carnali
Sponsum desiderio.

6 a. Consolatur flagellatum,
Visitat incarceratum,
Complexatur vincula,

6 b. Tonsuratis crinibus
Serviens martyribus
Praedicat caelestia.

7 a. Et quod magis est mirandum,
Sponsa ducit immolandum
Cruciatum coniugem,

7 b. Nec miretur mens novella,
Prima sanguinis procella
Consecrat hunc martyrem.

8 a. Nemo digne praedicaret,
Nemo plene pertractaret,
Nemo satis explicaret
Nataliae merita;

8 b. Sancta statu coniugali,
Sanctior in viduali,
Castitate turturali
Refugit conubia.

9 a. Ne tyranno vi iungatur,
Clam recedit nec fraudatur,
Christo namque protegente,
Christo dextrorsum ducente
Pervenit Byzantium.

9 b. Quo tutante navigavit,
Hoc nutante transmigravit
A caducis ad superna,
Quo salute nos aeterna
Salvet salus omnium.

Miss. Gerardimontanum saec. 15. Cod. Londinen. Add. 24075. — Melodie: L a u d e s c r u c i s.

295. De sancto Nazario.

1. Gaudia diei
celebremus hymnis,

2 a. Natalis
venerandi testis
Nazarii,

2 b. Qui nosmet
pater et patronus
conciliat

3 a. Aeterno semper Domino,

3 b. Pro cuius sorte moritur.

4 a. Fortis athleta Domini
triumphari commeruit,

4 b. Quondam agrestis populi
fera corda perdomuit.

5 a. Hic sprevit feritatem
tyranni saevientis
luxuriae

5 b. Nec sibi foeditatem
amplexus popularis
est gratiae.

6 a. Hic bona saeculi
transitiva despexerat

6 b. Nec sibi folia
protoplasti confecerat.

7 a. Sed sibi nuditatem
elegit, ut aeternam
evaderet,

7 b. Et cunctis christianis
exemplum se dedisset
probabile.

8 a. Hunc nostrae
patriae tutorem
deposcimus,

8 b. Quo nosmet
veritatis hoste
custodiat,

9 a. Et summi patris genito

9 b. Commendet suis meritis

10. Cunctis horis.

Cod. Vatican. Palatin. (ol. Laurissen.) 833. add. saec. 10. — Titel der Sequenz: „Beatus vir."

296. De sancto Nicetio.

1. Trinitati decantate
Novas laudes, clerici,
Gaudentes festivitate
Beati Nicetii.

2 a. Quem pater fecit calcare
Daemonis nequitiam,
Quam filius debellare
Docuit versutiam,
Quem spiritus sanctus stare
Fecit per clementiam.

2 b. In sanctis laudatur suis
Adoranda trinitas,
In festis dicitur tuis
Eius mirabilitas;
En, pater, tu nunquam ruis,
O summa felicitas!

3 a. Sancta vita ambulasti
In valle miseriae,
Miraculis coruscasti
In Treveris limine,
Ventura praenosticasti
Tuo stante comite.

3 b. Tuae praebent sanctitati
Verum testimonium
Quam plurimi scelerati
Dictantes opprobrium,
Quorum te severitati
Dedisti mitissimum.

4 a. Verbum Dei seminasti
Labris tuis propriis
Et nec regis formidasti
Probris quassus plurimis,
Tuas sed oves curasti
Nil committens exteris.

4 b. O oves multum felices,
Quibus pastor proprius!
Nam dum habent cicatrices,
Adest diligentius,
Quod non, quia gerit vices,
Facit mercenarius.

5 a. Sape regem Theudericum
Culpasti ob vitium,
Et propter hoc te amicum
Suscepit dignissimum,
Sed sic tibi inimicum
Fecisti Lotharium.

5 b. Multum pater te dilexit
Theudericus inclitus,
Sed secundum te direxit
Legi Dei subditus,
Te ad praesulatum vexit
In amore fervidus.

6 a. Quando praedicant praelati
Tollentes stipendia,
Praedicant communitati
Viles in plebicula,
Hinc, quae dicunt, vanitati
Ascribuntur omnia.

6 b. Quando modo amant clerum
Reges, duces, principes,
Non mentior, dico verum,
Multum sunt ignobiles,
Ad suum tollunt galerum,
Quidquid habent pauperes.

7 a. Te, o beate Niceti,
Vitae normam colimus,
Qui te prostravisti neci
Verax in sermonibus,
Nostrae precamur, sis faeci
Intercessor sedulus.

7 b. Dum Trevericos vastaret
Lues inguinaria,
Et dum quaedam vox sonaret
Nocte ut tonitrua,
Orasti, ne molestaret
Daemonis nequitia.

8 a. De tuis gaude patronis,
O tu felix Treveris,
Ad hos tuam si spem ponis
Cunctis in angustiis,
Huius ope contionis
Evades periculis.

8 b. Unam portam civitatis
Observat Nicetius,
Ad aliam, ne cadatis,
Excubat Eucharius,
Maximinus, gaudeatis,
Vos custodit tertius.

9. Tua caterva
Petit: hanc serva,
Morbos enerva,
Sancte Niceti.

Miss. ms. Saganense saec. 14. Cod. Wratislavien. I F 365. add. saec. 15. A. — Miss. Merseburgense imp. Lipsiae 1502. B. — 2 b, 5 nunquam tuis A. — 3 b, 1 praebet A. — 4 a, 2 Labiis A. — 5 b, 3 Sed secundum A. — 8 a, 3 Ad hos tura A. — 8 b, 1 Tuam portam A. — 8 b, 5 Maximinus fehlt A. — 8 b, 6 custodit maximus A.

297. De sancto Nicolao.

1 a. Alme Dei
Confessor et pontifex,
Nicolae,

1 b. Nos ad vitae
Salutis et gratiae
Portum trahe.

2 a. Tuo nos iuvamine
Duc de mundi turbine
Et procella,

2 b. Pro nostris flagitiis
Mudanisque vitiis
Interpella.

3 a. Tu per vitae meritum
Deo semper placitum
Es electus,

3 b. Summo sacerdotio
Caeli testimonio
Es provectus.

4 a. Signis et virtutibus
Orbi modis omnibus
Claruisti,

4 b. Cunctis beneficiis
Hominum miseriis
Subvenisti.

5 a. Tandem mortis debitum
Solvens bene meritum
Caelis reddis spiritum,
Corpus terrae;

5 b. Insigni de tumulo
Emanavit saeculo
Liquor potens populo
Morbos auferre.

6 a. Tua nos libera
Prece, quos misera
Peccati deprimunt
onera,

6 b. Post culpas libere
Deo fac vivere,
Qui nos perducat ad
aethera.

Miss. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 137. A. — Miss. ms. Fredeslariense saec. 15. Cod. Casselan. Ms. theol. Fol. 125. B. — 5 a, 4 Terrae corpus AB. — 5 b, 4 Lies: Morbos ferre? — Melodie: Laetabundus.

298. De sancto Nicolao.

1 a. Confessorum summo regi,
Qui dispensat suo gregi,
Honor sit et gloria,

1 b. Cuius amor uterinum
Cultum trahit ad divinum
Infra matris ubera,

2 a. Nicolao dum lactenti,
Matris suae lac spernenti,
Cibus ipse Christus est,

2 b. Puerilis cuius aetas
Ad senilis aevi metas
Docet, quis et quantus est.

3 a. Ecce, supererogat
Abstinens infantulus
A licitis uberibus,

3 b. Dum lactare derogat,
Nectare mellifluo
Reficitur divinitus.

4 a. Nicolae, flos pastorum,
Consolator contritorum,
Respice miserias,

4 b. Quibus mundo laboramus,
Fac, ut per te transeamus
Sedes ad Elyseas.

Grad. ms. S. Mariae Magalenae Hildesheimen. saec. 13. Cod. Beverin. 683. — 1 b, 3 Intra.

299. De sancto Nicolao.

1 a. Assunt sancti Nicolai
Festa celeberrima,

1 b. Pro quo detur a quibusque
Deo laus uberrima.

2 a. Sed est extra votum scire,
Extra votum est audire
Ceterorum carmina,

2 b. Deo quoque nimiorum
Pro te praesul canticorum
Offeram libamina.

3 a. Sed dicturum
tua insignia
Me reddidit
inopem copia.

3 b. Nam rhetorum
loquax facundia
Non sufficit
ad haec negotia.

4 a. Quae namque scientia
De tua infantia
Dicat digna?

4 b. Quae lac sugens ubere
Parce novit sugere;
Mira signa!

5 a. Sed quid dignum dici potest
de iuventa
Soli suae castitati
non intenta?

5 b. Auro cuius est latenter
restituta
Castitas, quae palam erat
prostituta.

6 a. Praesul ergo sublimatus
Dei ad indicia,
Tam sublimi fruebaris
eius amicitia,

6 b. Ut et absens implorata
ferres adiutoria
Nautis iamiam perpessuris
ultima naufragia.

7 a. Tuis meritis debetur,
Quod frumenti sic augetur
Nautis alimonia,

7 b. Ut nec tibi darent parum,
Naviumque singularum
Non decrescat copia.

8 a. Scandens tandem ad supera
Tua relinquis munera;

8 b. Dant tui busti marmora,
Quod sanet aegris corpora.

9 a. Nunc quoque similia
Deo nobis magnalia,

9 b. Tua nos infantia
Doceat ieiunia.

10 a. Inter mundi prospera
Naufragos nos libera

10 b. Et doctrinae gratia
Famem nostram satia.

11 a. Sed te magis oro, Christe,
Cui debet sanctus iste,
Quaeque habet, merita,

11 b. Ne quae voto tibi fundo
Mei cordis ex profundo,
Apud te sint irrita.

12 a. Duc nos illuc, ubi voce
indefessa

12 b. Tibi semper concinamus
Alleluia.

Trop. ms. Benedictin. saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 2 b, 1 nimeorum; lies: nunc meorum? — 3 a, 1 sq. tua dicturum. — 11 b, 1 fando.

300. De b. Nicolao a Rupe.

1 a. Eremitam Christi
Niclaum
Helvetia canat,
atque huius nomen
pallidus
fugiat hostis.

1 b. Unterwalde gaudet,
genetrix
talis filii, in
domo Domini hic
praepollet
fructificando.

2 a. Abstinentia
virtutum
ramos congeminando
ut oliva pingui
radice
germen profert dulce,

2 b. Quod aegris exstat
salubre,
claraque splendet luce;
quando haec terrena
de faece
et carcere tandem

3 a. Erutus
etiam tu nunc
liberiora colis,
nunc nostris melius
rogitans
tu consule rebus.

3 b. Pro nostra
quoque melius
funde salute preces,
affer opem nunc tu
mundo et
succurre labenti.

4 a. Sucurre
afflictisque rebus
et affer opem,
te cunctae
exorant gentes, tibi
vota profundunt.

4 b. Succurre
afflictisque rebus
et affer opem,
omnisque
sexus atque omnis te
invocat aetas.

5. Te quicunque vocent,
omnibus quoque
affer opem, caelestem
quatenus remeare
possint ad patriam,
eremita Dei preacelse.

Offic. et Vita ms. Nicolai a Rupe saec. 15. Cod. Saxulen. s. n. — 1a, 2 Nicolaum; vgl. die Form Niclaus, welche der Vers zu fordern scheint, auch in dem Hymnus Hac clara die Domini 2, 1. — 1b, 1 Unterwaldia. Hs. Vgl. die Form Unterwalde auch in dem Hymnus Nicolai pro meritis 2, 1 — 2b, 6 tantum. — Die drei Schlufszeilen der Str. 3 u. 4 bilden einen Hexameter. — Verfasser der Sequenz ist der Chorherr von Beromünster, Heinrich von Gundelfingen.

301. De s. Nicolao Tolentino.

1 a. Caeli regem et astrorum
Nunc in fine saeculorum
Dulci mentis iubilo

1 b. Collaudemus, nam dotavit
Simul mundum et lustravit
Novae lucis radio.

2 a. En, prae multis hunc quaesivit,
Ortum suum dum fulcivit
Speciali gratia,

2 b. Normam suae mirae vitae
Speculari huc venite
Sensuum sollertia.

3 a. In aetate iuvenili
Mente gnara et subtili
Floruit uberius,

3 b. Augustino sub patrono
Militans, post miro modo
Vivendo securius.

4 a. Sidus candens hunc praeivit,
Ad altare dum transivit
Exorare Dominum,

4 b. Quem formosum in statura
Vidit clarum et figura
Prae filiis hominum.

5 a. Grandes preces mox erexit,
Quarum Christum vis adlexit
Et laus et victoria,

5 b. Duces vicit tenebrarum,
Qui sub formis bestiarum
Bella dabant fortia.

6 a. Reviviscit perdix cocta,
Gnara mens nam sic edocta
Negat vesci carnibus.

6 b. Claudi, caeci et obsessi
Ad vigorem sunt reversi
Crebris suis precibus.

7 a. Improviseque submersus
Voto matris est repertus
In aquarum gurgite,

7 b. A periclis sic erutus
Puer gaudet restitutus
Vitaeque mirificae.

8 a. O miranda virtus huius,
Potestate viri cuius
Tot fulgent miracula

8 b. Tam in vita quam in morte,
Sed divina tandem sorte
Claruerunt omnia.

9 a. Inter astra iam scintillat,
Clare nobis ut instillet
Puritatis formulam,

9 b. Nicolaus eremita
In aeterna tenens vita
Fulgentem aureolam.

10 a. Gaude, quia meruisti
Invenire, quem quaesisti,
Caelo in empyreo,

10 b. Eius namque celsitudo
Ad amoena pulchritudo
Sub solari radio

11 a. Assumendo te locavit,
Collocando adprobavit
Vitae tuae regulam.

11 b. Regem celsae maiestatis
Ora, pater, cum beatis
Nobis ut det patriam.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 9 a, 2 instillet wohl reimstörende Korrektur. — Mel.: Gaude Sion quod egressus.

302. De s. Nicolao Tolentino.

1 a. Sospitatem dedit aegris
inclita precatio

1 b. Nicolai Tolentini
sincero praesidio.

2 a. Reviviscit peste laesos
instante periculo,

2 b. Figuratur polus Dei
sideris indicio.

3 a. Patris natus claret notus
puerili effigio.

3 b. O quam probat sanctum Dei
angelorum assertio!

4 a. Ergo laudes Augustini
concinat religio,

4 b. Nam, qui corde quaerit illum,
febrium litigio

5. Sospitas resultat.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — Melodie: Sospitati dedit aegros.

303. De sancto Norberto.

1 a. Aeterni regis munera
Celebret candida turba,

1 b. Festos dies sanctificet
Mundetque pectoris ima.

2 a. Sanctorumque memoria
Sit illi vitae nuntia,

2 b. Quorum mores et doctrina
Digna merentur praemia.

3 a. Inter quos pater Norbertus
Certa donatus gloria,

3 b. Quam accepit cum beatis
Propter laborum merita.

4 a. Felix illa Teutonica,
Quae tantum virum enixa,
Qui recta fuit posteris
Vitae degendae formula.

4 b. Quem qui sequuntur clerici,
Praesules et canonici
Aeterna vita fruentur
Sacro iuvante numine.

5 a. Spirat illi numen sanctum,
Induat ut corpusculum
Veste nive praelucida
Religionis figura,

5 b. Praemonstratum ut teneret
Ibique templum dicaret
Deo eiusque baptistae,
Fratres sibi sociaret.

6 a. Paret statim vir beatus
Mira plenus solertia

6 b. Eius, qui novit secreta,
Assistente potentia.

7 a. Nos agones et labores,
Quos suscepit Christi miles,
Recolamus nunc alacres
Eius sequentes limina.

7 b. Verbum Dei seminatur,
Miraculis confirmatur,
Haeretici convincuntur
Norberti diligentia.

8 a. Cuius laudum praeconia
Meditatur ecclesia,

8 b. Cum fratribus recensentur
Parentis natalitia.

9 a. Fide clarus et doctrina
Praesul ornatur laurea,

9 b. Dei plenus potentia
Mira perfecit opera.

10 a. Daemoniorum scommata
Fugat atque latibula

10 b. Solertique prudentia
Mundi vicit pericula.

11 a. Cuius carorum copia
Exornatur ecclesia,

11 b. Eorumque disciplina
Decoratur monastica.

12 a. Huius sequamur limina
Imitemurque dogmata,

12 b. Ut in caelesti regia
Decantemus Alleluia.

Grad. ms. Bernense saec. 15. Cod. Haagen. V. 429. add. saec. 16. A. — Grad. ms. Strahoviense anni 1611. Cod. Strahovien. H I 2. B. — Melodie: Interni festi gaudia.

304. De sancto Notkero.

1. Resonent angelicae
laudes confessori Notkero,

2 a. Suboli beato,
regio orto schemate,

2 b. Meritis insignem
quem unxit donum spiritus.

3 a. Qui scripturae dicta
excoluit
et, quidquid sponsa canit.

3 b. Gloriosa vita
hic functus
gaudenter morti occurrit.

4 a. Qui in magni luminis
splendorem
semper figens animum

4 b. Per totum tempus vitae
crucem Christi
gestabat suo pectore.

5 a. Obtinuit
patrum laude coli priscorum,
martyribus
compar, corporis ac spiritus
pollens laetissimis fructibus.

5 b. Castissima
mente cursum vivens temporis
excepit mi-
randa spiritus donaria
multorum salutis gratia.

6 a. Hinc quanta cum sanctis
vivat gloria,
probant, quae fecit, prodigia.

6 b. Ad cuius sepulcrum
nulli gratia
negatur, cum pie optatur.

7 a. In membris morbi contracti
hic curantur,
vinculis
stricti liberantur,
privatique
visu obtutibus laetantur.

7 b. Hic mentes oppressae malis
recreantur,
corporis
languor hic sedatur,
et daemonis
atrocis rabies premitur.

8 a. Magnificis
exaltate
fastigiis,
Notkere, monachorum
[tu praeclarum] decus,

8 b. Tuum, pater,
imploramus
auxilium,
in crimen, heu, prolapsis
impetra veniam,

9. Ut caelica
gaudia, regis
empta sanguine, frui
mereamur tecum.

Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. — 1, 1 angelici. — Melodie: Mater (doch nicht sauber gehandhabt). — „Laurentius, praedicator monasterii S. Galli, edidit.“

305. In Festo Patronorum

Hildesheimensium.

1 a. Laetis voce, chordis, ore
Nostrum spiritus fervore
Melos tangat aethera,

1 b. Ymnum Deo concinamus,
Magnalia recolamus
Patronorum vetera.

2 a. Pia, clemens, dulcis, bona,
Maria, virgo, patrona
Huius templi Domini,

2 b. Parens casta manens Christi,
Verbo carnem tribuisti
Virginalem homini.

3 a. Orbis duces Petre, Paule,
Incolae caelestis aulae,
Iudicantes saeculum,

3 b. Lucis aulam possidere
Facite nos et videre
Trinitatis speculum.

4 a. Digni Cosma, Damiane,
Tiburti, Valeriane,
Martyres eximii,

4 b. Vitam corporis sprevistis,
In mortem vos tradidistis
Aeterni spe praemii.

5 a. Sancti Iuste Arthemique,
Canciani, nos ubique
Precibus defendite,

5 b. Supplicate, Godeharde,
Epiphani et Bernwarde,
Salutem impendite.

6 a. Tuere nos, Speciosa,
Cum Caecilia, Generosa,
Virgines almificae,

6 b. Enodati culpis, poenis,
Caeli gaudiis ut amoenis
Laetemur deifice.

7 a. Imitemur hos autores,
Mundi spernamus favores
Cum Oswaldo fortiter,

7 b. Nobis ut ex agni throno
Detur in caelesti domo
Merces aeternaliter.

8 a. Benigna virgo Maria,
Petre, Paule, prece pia,
Confessores, virgines,

8 b. Electi martyres Christi,
Nos orate tandem sisti
Supra caeli cardines

9 a. Regna nobis impetrate
Beata felicitate,
Precamur suppliciter,

9 b. Gloria fruitionis
Facialis visionis
Dotemur feliciter.

Miss. ms. Hildeshemense saec. 15. Cod. Beverin. 682 a. A. — Missale Hildeshemense imp. s. l. et a. B. — Missale Hildeshemense imp. Nurembergae 1499. C. — 5 a, 1 Sancti Iusti AB; Iusti Iuste C. — Str. 7 a und b fehlen BC. — Acrostichon: Lippoldus Steinberg.

306. In Festo Patronorum

Salisburgensium.

1 a. O beata patronorum
nostrorum sollemnia,

1 b. O devote recolenda
praesulum praeconia.

2 a. Digni dignis fulgent signis
et florent virtutibus.

2 b. Illos semper condecenter
veneremur laudibus.

3 a. Fide, voto, corde toto
adhaeserunt Domino,

3 b. Quem sequentes sunt videntes
laeti sine termino.

4 a. Huius mundi furibundi
procellarum genera

4 b. Verbo vitae sparso rite
pertulerunt plurima,

5 a. Dum sic culta messe multa
Christi replent horrea,
Ut electi sunt adepti
Beatorum praemia.

5 b. Per contemptum mundanorum
Et per gesta fortia
Meruerunt angelorum
Habere consortia.

6 a. Ergo facti coheredes
Christo in caelestibus

6 b. Apud ipsum vota nostra
promovete precibus,

7 a. Ut post huius finem vitae
et post transitoria

7 b. In perenni mereamur
exsultare gloria.

Brev. Salisburgense imp. Venetiis 1482. — Melodie: O beata beatorum.

307. „De sanctis in nostro coenobio quiescentibus."

1 a. O Narcisse, promisisse
Tibi Deum dum finxisse
Fertur tunc rudem Vindelicam,

2 a. Pacto tali [non] superbus
Redemisti uti servus
Pro architecto laborem

3 a. Felicem artis accersisti
Consciumque docuisti
Locum, quem destinabas,

4 a. Christo magistro devoti,
Ambo pacto pulchro moti
Simul itur in Sueviam,

5 a. Eunomia, Hilaria
Digna cum Eutropia
Ferro sonant, Endelia,
Aedificio aptantur.

6 a. Dum sic molli in sexu
Ferrum ut in ligno agitis,
Lapides quoque hoc contextu
Norma corrigitis,

7 a. Largito Crescentianus,
Fidalfus, Petrus, Enticianus,
Fundamentum simul ingruunt,

8 a. Prope opus consummatur,
Alto caelo iam aequatur,
Roma frendet aemula;

9 a. Ecce, Afra pyram scandit,
Nova ignis culmina lambit
Fumus manet urbis sigillum;

10 a. Opus inimico fruitur,
Destruendo construitur,
Recte iam ibunt promissiones;

11 a. Hinc praesul caelo avitus
Dimittitur Udalricus,
Non urbi sed orbi hoc sufficimus.

12 a. Tuos non potes mirare,
Martyres numerare,
Quanta sis, Augusta, cogita.

1 b. Sed nunc urbem Augustinam
Fore subolem divinam,
Heroum semper puerperam.

2 b. E vestigio paratus,
Dolabrum tenebat latus,
Iam succinctus gnomonem.

3 b. Se comitem statim iurat,
Securim habere curat,
Qua animas aptabas.

4 b. Mox Augustam appulistis,
Arma iamiam expedistis,
Afra secatur devia.

5 b. Niminia, Diomedia,
Leonide profana,
Agape que Iuliana
Octogono aequantur.

6 b. Surgentis urbis in fundo
Dionysius ponitur
Et Quiriacus secundo,
Afer adiungitur,

7 b. Super fausto coeptum omine
Tredecim sine nomine
Martyrum sic corruunt.

8 b. Idem utrum sit magistri,
Narcisse, quod ministrasti,
Manus probat impia.

9 b. Angulum tentat labare aries,
Stat adamantinus paries,
Dionysius nec perdit capillum.

10 b. Inde Fortunatus, Wicterpus,
Adilbero, Simpertus,
Vita, fama veri heroes.

11 b. Sanctorum turba restat multa
In hac aede sepulta,
Quare Afrae cryptam non fecimus.

12 b. Hispania apostola,
Graecia est hospita,
Roma tibi devota.

13 a. Narcisse, non plus ira
Venti pigros sollicita,
Corruit templum cum gente,
Reddamus iam debita.

13 b. Sis pertinax impietate
Gentem erga pyreferam,
Mercedem nostra tempestate
Petas post operam,

14 a. Ne Augusta usquam degeneret
Suis a maioribus,

14 b. Reliquos fide restauraret,
Sero licet, et moribus.

Clm. Monacen. (ol. ss. Udalrici et Afrae) 4417. saec. 15. A. — Officia Mon. SS. Udalrici et Afrae imp. Augustae 1516. B. — 1 a, 3 crudem B. — 5 a, 3 sonant rudera B. — 5 b, 4 Orthogono B. — 6 a, 2 Ferrum fehlt B, — 6 b, 4 Affer A, Apher B. — 7 a b Petrus, Philadelphus, Euticianus B. — 7 b, 1 faustum coeptum omne B. — 8 b, 1 Idem virum sit A. — 9 a, 3 Manet fumus B. — 10 a, 1 initio A. — 10 b, 1 Fortunatus voret perpus A. — 12 a, 3 cogitas A.

A fol. 1 a: „Sequentia de sanctis hic quiescentibus, scilicet in monasterio sanctorum Udalrici et Afrae, edita a magistro Iohanne Molitore, plebano sancti Mauritii Augustanae ecclesiae, cuius animam commendo vobis propter Deum.“

Fol. 2 a derselben HS: „Metra de Passione Dni. nri. Iesu Christi, edita a magistro Iohanne Molitore, plebano sancti Mauritii et incipiunt feliciter.“ Diese Metra sind gleich grauenhaft wie obige Sequenz. Hier einige Zeilen zur Probe:

Hora prima eum Pilato detulerunt,
Calumniam eorum Pilatus derisit
Et Christum ad Herodem cito misit,
A quo et familia ipse despectus
More stultorum alba veste tectus.
Post hoc ducunt iterum illum ad Pilatum,
Barrabam petunt, nolunt Christum reprobatum,
Pilatus crudelis cruore pensitans
Flagellat Christum, hos placari non haesitans. etc.

308. De sancto Paulino.

1 a. Ecclesia
Vocali consonantia
Repleatur,

1 b. Cum gloria
Paulini natalitia
Prosequatur.

2 a. Hic in Aquitania
Clara de prosapia
Procreatur;

2 b. Hic in pueritia
Literarum studia
Complexatur.

3 a. Mira Dei gratia
Pontifex in Gallia
Sublimatur;

3 b. Plangit, flet ecclesia,
Haeresis perfidia
Condemnatur.

4 a. Paulinus catholicos
Fovet, in schismaticos
Roboratur;

4 b. Privat Aquitanicos
Maximino, Gallicos
Consolatur.

5 a. Iam nitet ut lilium,
Iam petit concilium,
Pneuma, patrem, filium
Protestatur.

5 b. Dat sanum consilium,
Proscriptis auxilium,
Insons in exsilium
Relegatur.

6 a. Necat hunc Phrygia,
Refert hunc Gallia,
Sita Treveri
collocatur.

6 b. Per ipsum gaudia
Nobis coelestia
Dei gratia
largiatur.

Miss. Trevirense imp. s. l. et a. (Basileae 1490) A. — Miss. Trevirense imp. Coloniae 1498. B. — 3 b, 1 Planget B. — 4 b, 2 Maximo B. — Melodie: Laetabundus.

309. De sancto Paulo.

1 a. Alma mater ecclesia,
Age Pauli sollemnia
Cum cordis laetitia;

1 b. Nam prae cunctis apostolis
Te dotat in epistolis
Divina scientia.

2 a. Caecus cadit,
Quando vadit
Contra Christum saeviens,

2 b. Hic audito
Iesu cito
Redditur oboediens.

3 a. Rapitur ad tertium
Caelum nunc sublimium
Secretorum conscius;

3 b. Post hoc visum recipit,
Christi nomen incipit
Praedicari [protinus]

4 a. Ultimus vocatione,
Primus praedicatione
In diversis populis,

4 b. Plus laborat excellenter,
Stat in mortibus frequenter,
Plagis et periculis.

5 a. Cum infirmis
infirmus efficitur,

5 b. Pro scandalo
cuiuslibet uritur.

6 a. O quam mirabilis
Et ineffabilis
Est tanta caritas!

6 b. Patroclum suscitat
Dum aegros visitat,
Fit eis sanitas.

7 a. Quia fidem non desinit,
Sub Nerone vitam finit
Amputato capite,

7 b. Effluxit lac cum cruore,
Iesum profert caput ore
Certe satis debite.

8 a. Lac castitatis lilium
Signat, sanguis martyrium,
Iesum linguae praeconium.

8 b. Cum aureola triplici
Pro his se gaudet subici
Trino Deo et simplici.

9 a. Hunc tamquam nostrum patronum
Precemur pium et bonum,

9 b. Ut eius dulce iuvamen
Semper sentiamus. Amen.

Orat. ms. saec. 15. Cod. Londinen. Add. 14845. — 7 b, 1 Affluxit, falsche Initiale.

310. De s. Paulo Eremita.

1 a. Paulum, primum eremitam,
A quo prodiisse vitam
Scimus solitariam,

1 b. Voto pari collaudemus
Et constantiam probemus
Eius multifariam.

2 a. Hic, ut consors electorum
Posset fieri virorum,
Saeculum deseruit,

2 b. Et, ut crebrius oraret
Ac ieiuniis vacaret,
Eremum adpetiit.

3 a. Hunc a Cristo commendatum
Et divinitus monstratum
Visitat Antonius,

3 b. Qui dum laeti consederunt,
Corvo nuntio sumpserunt
Cibum copiosius.

4 a. Panem totum adferebat,
Soli Paulo qui solebat
Fieri dimidius.

4 b. Huic defuncto paraverunt
Leones, qui adfuerunt,
Tumulum devotius.

5 a. Huius intercessione
A peccatis, Iesu bone,
Tuum purga populum

5 b. Et post temporalem mortem
Nos habere caeli sortem
Concede per saeculum.

Sequent. ms. Augustin. Nordhusen. anni 1512. Cod. Mus. Nordhusen. s. n. — 1 a, 2 prodigisse. — 5 b, 3 saecula.

311. De sancto Petro.

1 a. Caelestis aulae
ianuas,
ianitor egregie,

1 b. Reserare positis
satage
lacrimarum in valle,

2 a. Quos corrumpit
noxa suae
graviter
inoboedientiae
et facit ab aeterna
exsules claritate.

2 b. Memor esto
impertitae
ab eo
tibi indulgentiae
nec pii praeceptoris
careas pietate.

3 a. Saepius Iesum
pro nostra
interpella salute,

3 b. Praevales enim
petita
confestim acquirere.

4 a. Nec offendet
tuum velle,
cui bis binos
disposuit
cardines terrae.

4 b. Orbem ergo
visitando
solve compedes
nequitiae
Deo favente.

5 a. Nobis quoque puniendis
condescende
pro nostro crimine,

5 b. Christum redde placabilem
et provide
dignanter famulis

6. Supernae felicitatis
introitum.

Brev. ms. Oscense saec. 13. Cod. Scorialen. P III 14. A. — Antiph. ms. Oscense saec. 13. Cod. Capit. Oscen. s. n. B. — 1, 2 ianuam A. — 4 a, 1 offende A.

312. De sancto Petro.

1. Principem

2 a. Apostolorum
dulce canora
resonet vox
diatonica, quem vox
caelica
laudat et angelica.

2 b. Super quem mater
ecclesia stat
firmissima,
nec inferni ianua
valet nec
mortis violentia.

3 a. In Galilaea
per maris spatia

3 b. Hic cum Andrea
dum trahit retia,

4 a. Trahit illum
Iesu clementia,
Petrum nominat
firma gratia,

4 b. Tradit illi
claves, caelestia
clemens ianitor
pandat ostia.

5 a. Hic est, qui nocte media
ambulat super maria,

5 b. Per quem Christus insignia
mundo dedit prodigia.

6 a. In urbe Ierosolyma
ad speciosa limina

6 b. Longo situ debilia
firmat claudo vestigia

7 a. Ad membra paralytica
Aeneae vox est medica.

7 b. Tabitam reddit viduis
in virtute deifica.

8 a. Et saluti fugit omnis
valetudo contraria,

8 b. Et languori redit omnis
valetudo contraria.

9 a. Cornelius renascitur
deitate propitia,

9 b. Ananiam cum Saphira
necat fraudis nequitia.

10 a. Alas Simonis dissipat,
magum mergit in tartara,

10 b. Ipse de crucis gloria
triumphans intrat aethera.

11. Trinitati
sit laus aeterna.

Trop. ms. Vicense saec. 11/12. Cod. Capit. Vicen. CXI. A. — Trop. ms. Oscense saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. B. — 10 a, 1 Artes Simonis A.

313. De ss. Petro et Paulo.

1 a. Gaude, Roma, Roma, gaude,
Petrum laudans, Paulo plaude,
Geminentur gaudia,

1 b. Ambo pari digni laude,
Per quos fidem sine fraude
Peperit ecclesia.

2 a. Istae duae caeli portae,
Pari fide, pari sorte
Caeli pulsant ostia,

2 b. Nec in vita nec in morte
Separatur a consorte
Fortis amicitia.

3 a. Petrus cruce, Paulus ense
Pro te, Christe, rex immense,
Sustinent supplicia,

3 b. Una die, uno mense
Geminata regis mensae
Praesentatur hostia.

4 a. Clavis claviger clavatus,
Crucis stipite ligatus,
Terrae caput inclinatus
Respicit sublimia;

4 b. Paulus capite truncatus,
Procut est interpretatus,
Paulo minus minoratus,
Magnus tamen patria,

5 a. Dies ista consecrata,
Dies Deo dedicata
Horum per martyria,

5 b. Quorum passio beata
Nos reducat ad optata
Paradisi gaudia.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525.

314. De ss. Petro et Paulo.

1. Gaudet chorus electorum
Ad festiva beatorum
Petri, Pauli gloriam,

2 a. Quos pastores et doctores
Ordinavit et sacravit
Christus in ecclesia.

2 b. Qui dignatus est vocare,
Dum transiret secus mare,
Petrum ad hanc gratiam.

3 a. Rebus suis iam exutus
Christum pauper est secutus
Spretis, quae possederat,

3 b. Videt Christum, verbum Dei,
Caeli claves dantur ei,
Per quas caelos reserat.

4 a. A Christo prosternitur
Saulus, quem prosequitur,
Cuius membra laniat,

4 b. Iustum lapidantibus
Favit, quorum vestibus
Datur, ut custodiat.

5 a. Stephanus, dum lapidatur,
Tunc pro Saulo deprecatur
Iesum flexis genibus.

5 b. De lupo factus est agnus
Et de Saulo doctor magnus
Viri iusti precibus.

6 a. Unus ligat atque solvit
Melius, quam mens revolvit,
Potestate tradita,

6 b. Perituri sunt ligandi,
Sunt solvendi coronandi,
Sed secundum merita.

7 a. Alter vero, vas honoris,
Semitas damnat erroris
Docens evangelium,

7 b. Ad culturam deitatis
Per doctrinam veritatis
Traxit Dionysium.

8 a. Petrus in excessu mentis
Vas submissum ligamentis
In figura gentium

8 b. Videns vidit et agnovit,
Quod Deus ad fidem movit
Gentilem Cornelium.

9 a. Caelos tranat, unde manat
Fons salutis, lux virtutis,
Dei sapientia,

9 b. Et arcana verba sana
Paulus audit, quorum claudit
Signata mysteria.

10 a. Ananias et Saphira,
Super quos ascendit ira
Irremediabilis,

10 b. Mentiri Deo conantur
Et per Petrum morti dantur,
Res est admirabilis.

11 a. Paulus ante persecutor,
Nunc est sponsae Christi tutor,
Cuius sanctus est adiutor
Spiritus scientiae,

11 b. Fidem Christi dum revelat,
Cuius sponsae caste zelat,
Narrat hoc, quod ante celat,
Filiis ecclesiae.

12 a. Primatum sanctae cohortis
Petrus habet fide fortis,
Pro cuius amore mortis
Non timet pericula.

12 b. Porta Sion exaltata
Super Petrum est fundata,
Super omnia amata
Iacob tabernacula.

13 a. Paulus ense decollatur,
Petrus cruce coronatur;
Hi gubernant urbem lucis,
Cuius porta signum crucis,
Duo luminaria.

13 b. Istos, fratres, honoremus,
Ut excusent, quod timemus,
Per quos Roma gloriatur,
Et Romana gubernatur
Per orbem ecclesia.

Trop. ms. Vicense saec. 11/12. Cod. Capit. Vicen. CXI. A. — Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. B. — 8 a, 1 excessum. A. — Melodie: Laudes crucis.

315. In Octava ss. Petri et Pauli.

1 a. Cuncta caeli regem laudant
angelorum agmina

1 b. Indefessa Christo voce
dando modulamina.

2 a. His coniuncta turba multa
reddat vota debita,

2 b. Cum sanctorum nobis festa
refert solis orbita.

3 a. Super muros Hierusalem
vigilans custodia

3 b. Imminere iam diei
clamitat exordia.

4 a. Nox praecessit et lux venit,
inquiens, purpurea,

4 b. Ornat bene vigilantum
colla torques aurea.

5 a. Dum salutis vacat tempus,
mens exsurgat torpida,

5 b. Ac decertet, ut fruatur
agni cena sapida.

6 a. Venatores nam per mundi
ampla missa spatia

6 b. O quid praedae compulerunt
ad expansa retia!

7 a. Quot ferarum remansere
vacua cubilia!

7 b. Tauri fortes sunt enecti,
caesa et altilia.

8 a. Duces gregum, qui mansura
monstravere pascua,

8 b. Iam translati nulla timent
ora morsu nocua.

9 a. Designatur per haec cuncta
cohors apostolica,

9 b. Quam recepit et in aula
servat Christus caelica.

10 a. Congregati populorum
principes in aethera

10 b. Et commissa nostra nova
diluunt et vetera.

11 a. Imbres fundunt sanctae nubes
corda super arida,

11 b. Ut det fructum terra nostra
gramina per florida.

12 a. Quo vivamus dante Christo
vitae adminicula

12 b. Cum apostolorum choris
gaudentes per saecula.

13. Amen dicamus una.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. A. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valent. s. n. C. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. D. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. E.

2 a, 2 vita debita BC. — 5 b, 1 Hac BCDE. — 6 a, 1 mundo BC. — 6 b, 1 Ut qui praedae C; Ut quid praedae B; copulerunt E. — 7 a, 1 Quod BDE; Quid C. — 8 a, 2 vacua DE. — 8 b, 2 Ora (Hora C) mors innocua BC. — Nach Str. 8 b schieben DE folgende nach Ausweis des Reimes unechte, den Sinn störende Klauseln ein:

Petrus namque triumphavit
Crucis per supplicia,
Paulus atque superavit
Ferti crucis [Secti colli]iugula.

Inhaltlich ist die Sequenz eigentlich eine Prose de Communi apostolorum; diese Strophe ist eingeschoben, dieselbe auf Petrus und Paulus benützen zu können.

316. In s. Petri ad Vincula.

1. Hauriat ex plana
cantus vox nostra camoena.

2 a. In laudis iubilo
Domino contio
candida
modulans sonat cantica

2 b. Patri per omnia
vocibus consonis
ac poli
unigenito caterva,

3 a. Una simul ac florigera
spirituique
paracleto,
quibus una maiestas
pariter atque potestas
in saecula.

3 b. Qui Deus unus permanet
et dominator
caeli(ci)s cunctis,
ac agmina caelica
suum laudant creatorem
[per] omnia.

4 a. Hinc Iesum
unigenitum et eius
discipulum
laude consona

4 b. Et Petrum
apostolum, aethereum
clavigerum,
pangat vox nostra.

5 a. Petre, tuum Dominum,
virginis filium,
deposcimus supplices,
qui tua solvere
dignatus est vincula,

5 b. Ad te mittens angelum
luce perspicuum,
in medio militum
qui tua latera
percussit in dextera.

6 a. Ait: Surge ac te, Petre,
vestibus induere
et cingulo praecingere,
caligis calcia,

6 b. Veni sequens me concite
ac inde egredere,
iam liber es, in manibus
et nulla vincula.

7 a. Et surgens secutus est,
nec sentiunt milites,
patescunt
carcerem lumina,
libera
gressibus fit via.

7 b. Pergunt ambo pariter,
egressi de carcere
veniunt
ad portam ferream,
quae ultro
aperta est eis.

8 a. Ecce, processerunt
viculum in via,
et visio discurrit
angelica.

8 b. Petrus conspiciens
se solum timuit,
ad se reversus Deo
dat gloriam.

9 a. Nunc ergo
scio vere, quia
Dominus
angelum miserat
et eripuit
me de manu
Herodis iniqua,

9 b. De malis
omnibus vinculis,
quo misit
filius tetrarchae
[me] Archelai
nequam plebsque
iniqua Iudaea.

10 a. Ergo, claviger caelice,
pro nobis
deprecare Dominum,
qui te sua
exaltavit ecclesia;

10 b. Et nos tua oratio
sinceros
donet et participes
esse cum sanctis
in excelsa gloria.

11. Differat amissa
donando
ut ex iure sua.

Grad. ms. Toletanum saec. 12/13. Cod. Capit. Toletani 35—10. — 3 b, 4 anima. — 4 b, 4 plangat. — 5 a, 1 Et pertum. — 5 a, 3 depositum. — 6 a, 1 Sit surge. — 6 a, 4 calcia te. — 8 a, 2 vinculum. — 9 b, 3 quo mihi; so fehlt das Verbum. — 9 b, 6 plebe. — 10 a, 1 claviger calicem. — 11, 3 ut ex iura.

317. In s. Petri ad Vincula.

1. Alleluia

2 a. Festivum psallat
nunc ecclesia

2 b. Christo votiva
solvens cantica,

3 a. Qui sibi maxima
misertus est gratia,

3 b. Cum Petrum a dira
eductum custodia

4 a. Restituit ad roboranda
fidelium agmina,

4 b. Quae praesulis exinanita
fuerant absentia.

5 a. Cuius demum praeclara
virtute animata

5 b. Sumunt fidei arma
currentis spatiosa

6 a. Orbis itinera
spurcissimis
ritibus dedita

6 b. Atque simulacris
tunc, proh dolor,
vanis consecrata.

7 a. Datoque signo
cohors beatissima
temptat proelia
gnaviter erilia,
nec morte nec vita
cedere nescia,
donec subiugata
Deo regna reddat omnia.

7 b. Castra rupta sunt
bellatorum valida,
tuta urbium
expugnata moenia,
confracta delubra
daemonum horrida,
crucis atque digna
passim exaltata vexilla.

8 a. Nec latuit
late per arva

8 b. Victoria
apostolica.

9 a. Dataque dextera
cessit humana
condicio reparata.

9 b. O quam felicia
contio diva
agressa est certamina!

10 a. Cum archiclarus
meruit divina
consolamina
mox inter carceris saepta,

10 b. Quo religatus
innocens vincula
patiebatur
rabie Herodiana.

11 a. Eductus est autem
per angelica
ab aethere
obsequia demissa,

11 b. Recepitque sui
collegiarcham
plebs inclita
laetabunda reddita.

12 a. Cuius palma
triumphi
ad tempus est dilata,

12 b. Ut diffusa
per orbem
reformaret dogmata,

13 a. Essetque pars diversa
unita diligenter
in fide catholica.

13 b. A Christo iam redempta
et Petro reformata
gaudeat ecclesia,

14 a. Recolens pretiosa
pastoris sollemnia,

14 b. Cuius pia merita
nos sublevent ad regna,

15. Quo semper pium resonat
Alleluia.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 4 b, 1 arma fidei. — 7 a, 2 loco per. — 9 a, 3 sq. mox consolamina intra.

318. In s. Petri ad Vincula.

1. Laudes Christo
solvat orbis
per cuncta climata

2 a. Ecclesia,
cuius redempta
ovanter
tripudiat gratia.

2 b. Soluta sunt
nempe vincula,
pro noxa
quibus erat astricta.

3 a. Laetentur agmina
iustorum
potenter liberata,

3 b. Fuerat obstrusa
quis olim
summa caeli ianua.

4 a. Nec dispariter
resonat cantica
dulcia
turma caelestis,
humanae socia,

4 b. Cum qua gravia
merito tulerat
odia,
quam sua fuscam
reddebat macula.

5 a. Igitur nostra
Deus carne sumpta
superis ima,
divinis humana
coniunxit,
humilis in terra
homo factus ex Maria,

5 a. Vitae praecepta
tribuens beata,
fraglant quae ampla
per mundi spatia;
post scandit
triumphans ad astra
testes suos dans in arva.

6 a. In quos bacchata
perfidia
necem molitur Iudaica,
principem trudens
in Herodis vincula
Petrum parata
gemina
compeditum catena.

6 b. Bis octo datur
sollicita
clauso vigilum custodia;
subito loca
tenebris involuta
nocte depulsa
claritas
serenat angelica.

7 a. Mitis pulsat
membra sopita,
manibus excussa
cadunt vincula.

7 b. Atque surgat,
monet, et alta
properet, quo ponit
dux vestigia.

8 a. Nec est mora:
complentur iussa
angelica;
luce praevia
loca deseruntur horrida,
sed creduntur somnia.

8 b. Res miranda
atque stupenda:
ultro porta
patet ferrea;
sic Herodiana delusa
tabescit insania.

9 a. O diva
consilia,
quam inscrutabilia,
sua quae fallunt pravos
in astutia!

9 b. Ferrea
ruunt corda
caelitus hebetata,
ubi splendent iucunda
tam miracula.

10 a. Hac die plebs laeta
laudibus iungat pneumata,

10 b. Qua noster acerba
pastor evasit vincula.

11 a. Clara per merita
sordida
dilue nostra
prece facinora,

11 b. Potestate data
maxima
et prece pia
a Christo impetra,

12 a. Ut nos sua clementia
illa det frui vita,

12 b. Qua regnabunt in patria
iusti semper florida

13. Per aeterna
viven[te]s saecula.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n.

319. In s. Petri ad Vincula.

1 a. Cor devotum, vox sonora
Promant laudes sine mora
Petri, summi praesulis,

1 b. Memorando, quid sit gestum,
Quare fiat istud festum
Pro ipsius vinculis.

2 a. Dux Quirinus gutturnosam
Natam habuit formosam,
Quae, Balbina nomine,

2 b. Saepissime veniebat
Ad carcerem et lambebat
Pro sui salvamine

3 a. Alexandri papae dura
Vincla, quibus omni cura
Vinctus erat carcere.

3 b. Quam dulciter removebat
Et catenas admonebat
Sancti Petri quaerere,

4 a. Quibus tactis sanitatem
Et integram sospitatem
Possit mox recipere.

4 b. Quae adcurrens nuntiavit
Patri, qui mox destinavit
Nuntium has quaerere

5 a. Solymam. Quas osculata
Postquam fuit, est sanata
Pulso morbi pondere.

5 b. Ob hoc festum celebrari
Papa iussit et servari
Eductus de carcere.

6 a. Ergo Petro supplicemus
Et devote flagitemus,
Ut dissolvat vincula

6 b. Peccatorum et purgatos
Excipiat et mundatos
In caeli cenacula.

Grad. ms. Boscoducense saec. 15. Cod. Archivi S. Iohannis Boscoducen. s. n. A. — Miss. ms. Redonense saec. 15. Cod. Parisin. 1098. B. — Missale Andegavense imp. 1489. C. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1511. D. — Missale Briocense imp. Rotomagi 1463 [lies 1563]. E.

1a, 2 Promat D. — 2a, 2 famosam A. — 2b, 3 solamine A. — 3a, 2 Vincula, quibus omnium cura A. — 3b, 1 amovebat BC. — 4a, 2 Et fehlt A. — 4b, 3 eas quaerere B; eis quaerere AD. — Statt Str. 5a stehen in ACDE folgende zwei Halbstrophen:

Hierusalem; quas osculans,
Sanitatem recuperans,
Mox cessit morbus ab illa.

Postquam fuit osculata
Ipsas, haec fuit sanata
Pulso morbis pondere.

6b, 1 Ab hoc B. — 6b, 3 In caeli curia A.

320. De s. Petro Martyre.

1. Martyri victori laudes
intonent christiani.

2a. Lupus invasit oves,
Petrus innocens Deo
Reconciliavit
peccatores.

2b. Ius et error duello
Conflixere mirando,
Sed Petrus mortuus
regnat vivus.

3a. Dic nobis, vox pia,
Quis te laesit in via?
Mucro gentis saevientis,
Ecclesiam Christi contemnentis.

3b. Socius est testis
Mecum missus caelestis.
In fide vera spes mea,
Ad hanc redeat haeresis rea.

4a. Credendum est magis soli
martyri veraci
Quam perfidorum
turbae fallaci.

4b. Scimus Petrum claruisse
miraculis vere;
Tu nobis, Christe
rex, miserere.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. S. Ignatii Noviomagen. 55. A. — Seq. ms. Praedicatorum Cracovien. saec. 15/16. B. — Miss. ms. Insulense saec.? Cod. Upsalen. 96. (bei Klemming III, 148) C. — Missale Praedicatorum imp. Venetiis 1523. D.

1, 2 concinant A. — 2a, 1 Christus redemit oves A; Agnus conservat C. — 2a, 2 Petrus occisus Deo C. — 2b, 1 Fides error C. — 2b, 3 Pro fide mortuus C. — 3a, 1 vos pia A. — 3a, 3 sq. fehlen D; lauten in A und C:

A: Lictoris manus frementis
Et fidem dicebam resurgentis.

C: Vulnera hostis furentis
Sed gloria mea resurgentis.

3b, 1 Sodalis est C. — 3b, 2 Passus rubraque vestis C. — 3b, 3 sq. lauten in C:

Refloruit fides mea,
Videbitis me in Galilaea.

4a, 1 soli fehlt CD. — 4a, 2 Christi martyri veraci BCD. — 4b, 1 emigrasse C. — 4b, 2 Ad te Deum vere C. — 4b, 3 nobis, victor B. — Mel.: Victimae paschali.

321. De sancto Piato.

1 a. Beneventanis finibus
Claris nitens natalibus
Piatus ortum habuit,

1 b. Ab annis puerilibus
Christum mirandis nisibus
Secutus prout potuit.

2 a. Post in adulescentia
Contempta mundi gloria
Iam vivens evangelice

2 b. Distribuebat propria
Pauperum alimonia
Retenta veste simplice.

3 a. Annos viriles subiens
Romam pergit Christi cliens
Consorte Dionysio,

3 b. Eiusque se efficiens,
Illic lumen adiciens
Actus sancto collegio.

4 a. Exhinc, quando Parisius
Beatus Dionysius
Elegit habitaculum,

4 b. Piatus vir egregius
Se direxit ulterius
Ad Tornacensem populum.

5 a. Ubi verbum fructiferum
Serens convertit procerum
Circa triginta milia

5 b. Praeter gregem innumerum
Parvorum et mulierum
Eadem cum gratia.

6 a. Crebris clarus miraculis
Atque virtutum titulis
Sese graviter afficit

6 b. Abstinendo ab epulis,
Quo zabulon miserulis
Incubantem se subicit.

7 a. Prodit Caesaris iussio,
Ne fiat miseratio
Devoto Christi famulo;

7 b. Sed subdatur supplicio,
In suo sacrificio
Deos placet iam populo.

8 a. Tentus a satellitibus,
Vinctus flagris et nexibus,
Poenam decollatoriam

8 b. Subit caelis plaudentibus
Cum beatis spiritibus
Hinc evectus ad gloriam.

9 a. Ad sanctitatis titulum
Et honoris ad cumulum
Prius ignotus barbaris

9 b. Fusus est circa tumulum
Replens dulcore populum
Odor superni nectaris.

10 a. Haec odoris suavitas
Mentes maculis illitas
Purget omni nequitia,

10 b. Ut sedes nobis debitas,
Peccatis nostris perditas,
Reddat Christi clementia.

Missale Carnotense imp. Parisiis 1500 A. — Missale Carnotense imp. Parisiis 1511. B. — 3 a, 3 Cum sorte B. — 4 b, 1 Piaton AB. — 6 a, 3 efficit A. — 7 b, 3 Deo B. — 8 a. 2 Victus AB.

322. De sancto Raimundo.

1 a. Chorus iste tibi, Christe,
Assit cum laetitia,

1 b. Cordis, oris melos promat
Dulci cum melodia.

2 a. Gratulari et laetari
Nunc debet ecclesia,

2 b. Sic beati Raïmundi
Celebret sollemnia.

3 a. Cuius vita redimita
Spiritali gratia

3 b. Praesulatum sibi datum
Rexit ac custodia.

4 a. Voce sincera,
Praedicatione
Vera, vetans illicita,

4 b. Promittens lucra
Fine carentia
Sanctis a Deo debita.

5 a. Non sua cura mundana
Fuit vilis gloria,
Sed pro vita refutavit
Mundi quaeque vilia.

5 b. Caprae pilis composita
Induit cilicia,
Domuit abstinentia
Fluxa carnis vitia.

6 a. Tandem vita hac mundana
Destitutus verna
Dei luce praeclara
Fulget in arce superna.

6 b. Coronatur in gloria
Duplici corona,
Quam meruit hac vita
Confessorum cinctus zona.

7 a. Angelorum dant agmina
Domino laudum cantica
Prece pia socia;

7 b. Hymnis caelestis curia
Suo concivi obvia
Cantica dat dulcia.

8 a. Ob huius viri merita
Multa fiunt miracula
Summi regis gratia.

8 b. Languida sanat corpora,
Carcerum frangit ostia,
Ferri rumpit vincula.

9 a. Surdis auris officia
Dat, mutis eloquia,

9 b. Illustrat caeca lumina,
Claudis dat vestigia.

10 a. Expellit daemonia
Ab obsessis prece sua;
Haec sunt eius merita,

10 b. Quibus, Christe, caelestia
Nos mereamur gaudia
Solis sanctis debita.

11 a. Quocum summa laetitia
Cantemus cum gratia
Omnes una

11 b. *Alle* — tibi mente pura
In excelsis gloria —
luia, Amen.

Psalt. ms. Rodense saec. 12. Cod. Capit. Illerden. 11. — 6 a, 2 sq. Dei servus luce.

323. De sancto Remigio.

1. Vocem iucunditatis
nuntiate

2 a. In laudes almi
Remigii,
Francorum summi
apostoli,

2 b. Quem nasciturum
mirabili
Ordine prompsit
vox Domini.

3 a. Natus prophetam materno
Lacte perungens
Reformat lumine,

3 b. Signatus praesul superno
Lumine pari
Sacratur unguine.

4 a. O felicem
Pontificem,
Quem sacravit ipse Deus,

4 b. Qui de caelis
Contrahere
Nomen fuit idoneus.

5 a. Scholis liber fit reclusus
Fugiens humanos visus
Pro Christi servitio;

5 b. Praesul factus attentavit
Idem rursus, ut sacraret
Arcanum se Domino.

6 a. Aves ei convescuntur,
Caeci lumen consequuntur,
Fugantur daemonia,

6 b. Parvus liquor exundavit,
Vis daemonum victa cessit,
Franguntur incendia.

7 a. Captivatam liberavit
Et defunctum suscitavit
Dans a poenis reditum
Per virtutis meritum.

7 b. Caeli cives obsequuntur,
Fidem gentes assequuntur,
Missum chrisma caelitus
Ministravit spiritus.

8 a. Christi visa facie
Refulsit mirifice.

8 b. Per missarum gratiam
Transiit ad gloriam.

9. Ergo gaude, gens Francorum,
Per haec festa, plebs sanctorum,
Tanti patris gratia
Decantans Alleluia.

Miss. S. Remigii Remen. imp. Remis 1556. — *3 b, 3 Sacra tuo unguine.*

324. In Translatione s. Remigii.

1 a. Magnus Deus omnium,
Qui se suis praemium
Contulit in gloria,

1 b. Cum iam post exsilium,
Post carnis hospitium
Potiuntur patria.

2 a. Cuius dispositio
Potenti consilio
Sic dictavit omnia,

2 b. Ut in rerum corpore
Quaedam suo tempore
Servaret magnalia.

3 a. Quarum rerum novitas
Fit mira suavitas
Praegustanti talia.

3 b. Quia sic accenditur
Et in eum rapitur,
Qui dat certa gaudia.

4 a. Ad haec praegustamina
Dedit Deus limina,
Ne sequendo devia
Erremus a patria.

4 b. Et contra naufragium
Produxit Remigium,
In cuius praesentia
Nemo timet maria.

5 a. Quo parentum senescentum
Revirescunt et florescunt
Effeta plantaria,

5 b. Et dat florem praeter morem
Hiemalis, non vernalis
Aetas et materia.

6 a. Huius cura a cultura
Nefandorum idolorum
Respiravit Francia,

6 b. De qua culta messis multa
Recondenda, non urenda
Crevit in ecclesia.

7 a. Huius actus enarrare
Est arenas numerare,
Quorum cum Dei gratia
Immensa fuit copia.

7 b. Sed credentes eum vere
Veris bonis inhaerere
Per illius suffragia
Confidamus de venia.

8 a. O Remigi, lux Francorum,
Audi preces famulorum,
Audi fletus,
Solve metus,
Remove poenalia.

8 b. Ut id per te mereamur,
Quo te frui gratulamur,
Ubi fructu
Sine luctu
Pascamur et gloria.

9. Ad haec vera gaudia
Nos conducat gratia.

Miss. S. Remigii Remen. imp. Remis 1556. — Melodie: Mane prima Sabbati.

325. De sancto Saturnino.

1 a. Hodierna
die gaudeat
omnis turba,

1 b. Saturninus
in qua petiit
caelestia.

2 a. Qui mortem sumpsit pro
vita genti dedita,
cui praedicabat
virtutum lumina.

2 b. Nam post salvatoris
ascensum ad aethera
sequebatur Petrum
praedicantem visa.

3 a. A quo pontificatus
sumpsit officia,
ut mundo veri vera
luminis lumina
enuclearet miscens
cum novis vetera.

3 b. Praeponens ergo mori
genti luce data
Tolosam petit totus
mente veridica,
ubi magis frendebat
gentis insania.

4 a. Cum quo erat
fides et pudicitia,
humilitas
larga cum patientia,
sobrietas
cum caritate gemina.

4 b. Hac igitur
miles saeptus militia
nihil timens
valde contemptibilia
idolorum
dicebat sacrificia.

5 a. Monstrans iuxta nocere
et prodesse potentia,
tamen in infernum
sibi credentes
mergentia,
ut crederetur monstrans
ex more nil potentia.

5 b. Nec minus monstrans tanta
Dei esse iuvamina,
quod per eius fidem
fieri possent
omnia, ut
crederetur, omnia
sanans membra languida.

6 a. Iam lumen ubi
tantum fuerat,
nulla vox vim
habere poterat,
specula montis
apparuerat.

6 b. Iam videt rex, quae
vix audierat,
perdens, ubi
lucrari poterat,
Christi militem
capi iusserat.

7 a. Cur saeve furis
ac tanta insania,
quae vides, non credis
esse miracula,
sed fingebas fieri
arte magica?

7 b. Credens vitare
incurris pericula;
adduciter taurus,
non pro victima,
ad eius ligetur
sanctus vestigia.

8 a. O nova
novae mortis genera!
Ligantur
pedes versus pectora,
caput et manus subter
ilia.

8 b. Mox taurus
timens dura vincula,
tractus ad
capitolii summa,
ruit praecipitans ad
infima.

9 a. Franguntur colla,
languent lumina,
spargitur cerebrum
per confragra,
ruptae sunt
manus propter vincula.

9 b. Rumpuntur nervi,
cadunt viscera,
sic petit spiritus
caelestia,
laetantur
angelorum consortia.

10 a. Cuius prece assidua
vitemus cuncta noxia

10 b. Adipiscentes dulcia
angelorum consortia.

Miss. Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Miss. Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — 5b, 1 Hec minus AB. — 5b, 3 quia per AB. — 5b, 7 languentia AB.

326. De sancto Sebastiano.

1. Sancto spiritu
nos instructi
eiusdemque lege docti

2 a. Praeconia testis
pangamus nomine Christi,

2 b. Qui terrea sprevit
quondam, nunc gaudia cernit.

3 a. Prognatibus
carus consistens
principatum non dilexit;

3 b. Ac sobrius
sub ornamento
latet diu militari.

4 a. Et multos a deviis
ad viam hic dudum
veritatis revocavit,

4 b. Larvalibus nebulis
plures sic de turba
relevavit inimici.

5 a. Sermonibus veridicis,
moribus sanctis
est praeditus
vir praeclarus.

5 b. Palatii commilites
hunc quasi patrem
carissimum
amplectuntur.

6 a. Sebastiane,
miles clarissime,

Qui constitutis
duobus geminis
Marcelliano et Marco
in vinculis solamina
praebuisti,

6 b. Zoe fideli
ora restituis,

Senos per annos
verbis quae caruit.
Tu cunctos haec tua mira
probantes tuis precibus
fac gaudentes.

7. Nobis per omnia
sis fautor,
fidelis orator
per saecli saecla.

Cod. Vatican. Palatin. (ol. Laurissen). 833 add. saec. 10. — Titel der Sequenz „Adducentur". — 3a, 1 Pronatibus Hs. — 4b, 1 Larvaribus Hs. — 6 a, 6 in ergänzt. — 7, 4 per ergänzt.

327. De sancto Sebastiano.

1 a. Omnes una decantemus
Et martyris personemus
Laudem Sebastiani.

1 b. Hic a Deo est electus,
Per quem morbus est eiectus
Languoris pestiferi.

2 a. Nam se Christo totum vovit,
Qui vult nos hunc venerari:

2 b. Christus eum nunc promovit
In patria caelesti.

3 a. Cunctis hic subvenit maestis,
Statim est sedata pestis
Sui causa meriti,

3 b. Ipsum si nunc deprecemur,
Nomen quoque veneremur
Martyris sanctissimi,

4 a. Morbus iste non nocebit,
Sed mortiferum delebit
Populum, qui tenuit

4 b. Nos pro nostris tantis malis,
Iam absorbet pestis talis,
Quod tota gens gemuit.

5 a. Sancte martyr
Sebastiane,

5 b. Salva nos a morte
epidemiae.

6 a. Nostra gravia ob peccata
Terra ista desolata
Non sit, pie, quaesumus,

6 b. Sed nos considera
Et in nobis cessa
Pestem, iam te petimus.

7 a. Ista per te gens sit tuta,
Et ne noceat acuta
Febris haec in patria.

7 b. Ex quo nostra spes est tota
In te, martyr, nunc remota
Sit pestis mortifera.

8 a. O sancte Sebastiane,
Nostrae gentis sero, mane
Conservator et tutor sis

8 b. Et Dominum deprecare,
Ut a nobis revocare
Valeat vesana pestis.

9. Ex tua sancta prece
Ne sit morbus nobis nece,
Sed recedat ab hac domo;
Amen dicat omnis homo.

Miss. ms. Cisoniense saec. 16. Cod. Insulen. 37. A. — Missale Sarisberiense imp. 1498. B. — Missale Lexoviense imp. 1504. C. — 1, 2 iam personemus B. — 4 b, 2 Iam fehlt C. — 4 b, 3 genuit C. — 7 a, 3 in Anglia BC. — 7 b, 1 Ex quis C. — 8 a, 2 gentis Anglicanae BC. — 8 a, 3 Consecrator A. — 8 b, 1 deprecaris C. — 8 b, 2 revocari C.

328. De sancto Sebastiano.

1 a. Imperator maxime,
Christe benignissime,
Tibi laus et gloria,

1 b. Carmen hoc laetitiae
Suscipe, quod hodie
Decantat ecclesia,

2 a. Sebastiani pia
Colendo sollemnia,
Egregii martyris.

2 b. Instructus Lombardia,
Sed Narbone patria
Civis fuit nobilis.

3 a. Omnibus amabilis,
Sermone affabilis,
Iustus in iudicio,

3 b. In commisso fidelis,
Moribus placabilis
Fuit et consilio.

4 a. Gestis imperatorum
Stetit more maiorum
Romae summa curia.

4 b. Firmavit cor tortorum,
Spem promittens bonorum
Caelesti hierarchia,

5 a. Poenis ne deficerent,
Ne eos seducerent
Monita mulierum,

5 b. Sed terrena spernerent
Et Deum aspicerent
Largitorem munerum.

6 a. Cotidie sedulum
Exhibens officium
Verus cultor fidei,

6 b. Omne servans praeceptum
Lege gratiae scriptum
Fultus gratia Dei,

7 a. Os mutum aperuit,
Tormenta sustinuit
Armis lucis indutus;

7 b. Sagittis fixus fuit
Et mortem non timuit,
Pro qua stat laureatus.

8 a. Pro nobis advocatus
Nunc pellat vir beatus
Pestem, famem, gladium;

8 b. Nostros quoque reatus
Ignoscat nobis Deus
Detque nobis gaudium.

Missale Andegavense imp. 1489. A. — Missale Petragoricense imp. Petragoricae 1525. B. — Missale Pictaviense imp. Parisiis 1541. C. — 1 b, 2 Promit haec B. — 2 b, 3 Fuit civis B. — 4 b, 1 Firmat hic cor A; huc cor B. — 7 b, 1 sutus fuit A. — 7 b, 2 mortem sustinuit B. — 8 b, 2 Ignoscas A. — 8 b, 3 Desque tuum A; Qui regnat in saeculum B.

329. De ss. Senesio et Theoponto.

1. Devoti
cordis laude nobis
colendus digne

2a. Hunc diem sacravit
triumphans

2b. Senesius martyr
beatus.

3a. Hic Christi amore plenus,
pastorali
nomine decorus,

3b. Ad plenum fidei opus
Theoponto
praefuit devotus.

4a. Haec mundo duo
lumina superni
splendoribus
solis unita

4b. In continentum
maximo ordine
virtutibus,
signis fulsere.

5a. Calicem postmodum
gustantes
martyrii,
ferro perempti,

5b. Ferculi mystici
ascensu
purpurato
gaudent cum Christo.

6a. Horum Suevia
data quieti,
Hierosolyma
praevisa
passioni.

6b. Pangat iterum
dulciter melos
grex angelicus
impleri
videns caelos.

7a. Vos, praeclari
milites, titulis
insigniti
sanguinis agni,

7b. Nostras preces
Domino seduli
deferentes
vestros concives

8. Facite et heredes.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. add. saec. 11/12. — 6a, 4 lies provisa? — Melodie: Romana.

330. De sancto Sigismundo.

1a. O fons summae pietatis
Et immensae bonitatis
Ex alto scaturiens,

1b. Qui per tuos rivos dulces
Suaviter cuncta mulces,
Omnia parturiens.

2a. Cuius impetus iucundus,
Suavis, clarusque mundus,
Summa cum laetitia

2b. Consolatur civitatem
Dei, dans iucunditatem
Remota tristitia.

3a. Cuiusque felix dulcedo
Totum orbem, sicut credo,
Mederi non desinit,
Sicut medicus fidelis
Omnes morbos cum medelis
Medetur et perlinit.

3b. Quod aperte nos videmus,
Quia sanctos, quos tenemus
Apud nos reconditos,
Sacris rivis sic inundat,
Ut per totum orbem fundat
Recreando perditos.

4 a. In quorum tam sancto grege
Lucet speciali lege
Sigismundus clarissimus

4 b. Ut David inter prophetas,
Signorum nec habens metas
Prudens sicut Salomon.

5 a. Qui de longe quaerebatur,
Nam sic hic rex visitatur,
Pulcher velut Absalon;

5 b. Cuius decorem mirantur
Caeli, terra et laetantur
Eius pulchritudine.

6 a. Ceu Samson hic vere fortis,
Quia de inferni portis
Huius fortitudine

6 b. Plures animae solvuntur
Paradiso et redduntur
Ipsius precamine.

7 a. Membra fere morti data
Iam cernuntur recreata
Eius medicamine,

7 b. Non est morbus, quem non curet,
Dum morbosus fide duret
Postulans auxilium.

8 a. Tristes atque conturbatos
Necnon paupertati datos
Per mundi exsilium

8 b. Tam benigne consolatur,
Quia quisquis reformatur
Liber a tristitia.

9 a. Languor ullus hunc non laedit,
Sed ad sua laetus redit,
Quando vita tristis cedit
Crescente laetitia.

9 b. Ob hoc rex et martyr Christi,
Sigismunde, genti tristi
Opem fer, ut consuevisti,
Solando clementius.

10 a. Hostes cunctos procul pelle,
Qui dant potum mixtum felle
Et laedunt ardentius;

10 b. Sicut stuppa transit igne,
Hos consume, martyr digne,
Tuis sanctis precibus.

11 a. Ut omnino conterantur
Et hi, quibus adversantur,
Feliciter eruantur
Ab inferni necibus.

11 b. Ut tui servi securi,
Tibi semper placituri,
Casti possint atque puri
Parere decentius.

12 a. Iuva gregem hoste victum
Nostrumque dele delictum,
Ut adversus mundum fictum
Ineuntes nos conflictum,
Obtenta victoria,

12 b. Post istius mundi cursum
Dirum vincientes ursum,
Mereamur ferri sursum,
Ubi coronemur rursum
In aeterna gloria.

Miss. ms. Olomucense saec. 14. Cod. Capit. Olomucen. 87. A. — Miss. ms. Pragense anni 1482. Cod. Pragen. XII C 5. B. — Grad. ms. Pelsinense anni 1491. Cod. Mus. Bohemici. s. n. C. — Miss. ms. Sanctae Coronae anni 1498. Cod. Pragen. XII C 6. D. — Miss. ms. Altovadense saec. 15. Cod. Altovaden. LXXVI. E. — Miss. ms. Tiechebucense saec. 15. Cod. Pragen. XIV B 17. F. — Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Pragen. XII C 4. G. — Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Capit. Olomucen. 73. H. — Miss. ms. Pragense saec. 15. Cod. Civit. Wratislavien. R 524. I. — Miss. ms. S. Vincentii Wratislavien. saec. 15. Cod. Wratislavien. I F 361. K. — Miss. ms. Vindobonense saec. 15. (Privatbesitz). L.

1b, 2 mulcens L. — Str. 2a und 2b umgestellt E. — 4a, 1 In quorum tamen sancto K; In tuorum tam sancto E. — 4a, 2 Licet L. — Von 4a, 3 an geht eine Verschiebung des Reimes bis 12a, 1 durch. — 4b, 1 inter propter I. — 4b, 2 nec fehlt K. — 5a, 2 lex F. — 5b, 3 Huius E. — Str. 6a fehlt E. — 6a, 1 Ceu Salomon G; fortis vere L. — 7a, 2 Vel cernuntur E. — 8b, 1 Iam benigne B; Nam benigne E. — 9a, 1 Languor nullus F; Languoribus hunc non E. — 9a, 2 reddit L. — 9a, 4 vitae E. — Str. 10a fehlt L. — 10a, 2 danti E. — 10b, 2 ff. fehlen F. — Str. 11a fehlt L. — 11a, 2 his E I K. — 10a, 3 mundi fluctum E. — 12b, 1 Post mundi istius E; Post huius mundi D. — 12b, 2 vinciens E; vincentes K. — 12b, 4 fehlt E.

331. De sancto Sixto.

1. Ad beati Sixti digna
colenda praeconia
concinat et iubilet
omnis ecclesia.

2a. Hic Athenis genitus
trivio, quadrivio
dedit operam,
formula sinistra
haerens Pythagorica.

2b. Post fidelis et prudens
oeconomus eligitur
ad erogandam
tritici mensuram
vita apostolica.

3a. O sancte Sixte,
ex oleastro factus
oliva,
Melchisedech ordine
assignatis tibi
clavibus
potestate usus es,
scientia.

3b. O felix Roma,
de tanto pontifice
inclita,
qui obvius pro grege
lupis frementibus
respuit
fanum Caesaris, Martis
simulacra.

4a. Hic ut sol mole siderea
luxit lampas evangelica.

4b. Exemplis, verbis, operibus
castra instruxit dominica.

4c. Diem et poenam Laurentio
voce praedixit prophetica.

5a. Ante tribunal Dominum
confessus est
voce publica,
sprevit minas Decii,
terrores, tormenta.

5b. Tandem strepit concilium
in iugulum
sancti praesulis,
ob mortis sententiam
nectens argumenta.

5c. Solvit triumphans sanguine
de foenore
sibi credito
in thesauros regios
bis quinque talenta.

6a. Eius, Roma, cineribus
tripudias,
sed, Patavia,
sui ex praesentia
es capitis decora.

6b. Huius, pater dulcissime,
cotidie
tuis precibus
et clerum propitius
et populum honora,

6c. Et tui cum consortibus
martyrii,
Felicissimo,
Magno et Agapito,
indesinenter ora.

7a. Fac nos tuis meritis
suffragantibus
ex Aegyto
transire pelagus
et Iericho
anathema
Ierusalem
una duc nos in saepta.

7b. Hac recipiens suas
retributiones
et ad petram
parvulos allidens
sit beata,
Babylonis
meretricis
lascivia decepta.

7c. Tecum sumus dii facti
ex hominibus;
angelorum
iuncti agminibus
celebremus
verum pascha
stola carnis
et animae suscepta.

Miss. ms. Hospitalense saec. 15. Cod. Paulan. Hospit. memb. 7. A. — Miss. ms. Sitanstettense 247 saec. 15. B. — 2a, 2 Trino quadriuno B. — 3b, 1 felix tota B. — 4c, 2 voce fehlt A. — 6b, 4 sq. et clerum benignus et populum propitius etc. B. — 6b, 4 et fehlt B. — Str. 7a, b, c fehlen B. — 7b, 7 mris A = matris, offenbar verschrieben. Eigentümlich ist dieser Sequenz, dafs von Str. 4 an jeder Choral nicht zweimal sondern dreimal wiederkehrt.

332. De sancto Stanislao.

1. Laudes Dei Cracovia
Nunc attollat mente pia,
Instantia vigili.

2a. Laetabundus psallat mundus,
Psallat Deo cum tropaeo
Omne decus saeculi,

2b. Solemnizet et hymnizet
Die ista per haec festa
Stanislao praesuli.

3 a. Sit laus iugis, sit benigna,
Sit salubris, sit condigna
Mentis iubiliatio;
Dies enim tropaei agitur,
In qua pastor membratim caeditur
Pro gregis custodia.

3 b. O quam rara, quam amara,
Quam effera, quam austera
Mortis haec illatio!
Tanto mors est gratior,
Quanto crux atrocior
Pro plebis iniuria.

4 a. Boleslaum qui prophanum
Arcet regem, ne in gregem
Domini desaeviat,

4 b. Dum vesanus mittens manus
Oves Christi dente tristi
Velut lupus laniat.

5 a. Augens malum inhumanum
Lac mammarum feminarum
Dat sugendum catulis;

5 b. Exsecratur et damnatur
Scelus regis iure legis
Per censuram praesulis.

6 a. Hinc athleta mente laeta
Subit letum, spernit metum
Sitiens martyrium;

6 b. Gaudet laesus ense caesus,
Transit laetus, cedit fletus
Et dolor in gaudium.

7 a. Cuius ossa terrae fossa
Vigent signis ac condignis
Pullulant virtutibus,

7 b. Cuius vita redimita,
Christi sorte victa morte
Vivit in caelestibus.

8 a. Hunc qui totis poscunt votis
Dei donis freti bonis
Impetrata possident,

8 b. Caeci, claudi, surdi, muti,
Neci dati, desperati
Spem salutis obtinent.

9 a. Spe ipsius meritorum
Vita redit defunctorum,
Daemonio oppressorum
Fit crebra curatio.

9 b. Quo viso gens Polonorum
Instat, ut martyr ipsorum
In numero beatorum
Iungatur catalogo.

10 a. Ecce, pater Polonorum,
Factus tutor pupillorum,
Vere pater filiorum,
Colendus sedulius,

10 b. Admirandae est virtutis,
Opem fert gratae salutis,
In pressuris constitutis
Subvenit celerius.

11 a. Bone pastor, tui gregis
Veniam impetra reis
Pacem obtinendo eis,
Ne hos stringat poena legis,
Absolve criminibus.

11 b. Pater age Stanislae,
Ut rex pius ac benignus
Nos in fine sine fine
Regno donet ac coronet
Iungens caeli civibus.

Miss. Cracoviense imp. Venetiis 1532. — 3 b, 4 Tanto morte gratior. — 3 b, 5 Quanto trux. — Melodie: Laudes crucis. — Verstümmelt bei Kehrein S. 477 u. f.

333. De sancto Stephano.

1 a. Martyris insignis laudes
concinant christiani.

2 a. Protomartyr Stephanus
Ad caelos levans manus
Vidit patefactas
caeli fores.

2 b. Vidit Dei filium,
Redemptorem omnium,
Sponte qui redemit
peccatores.

3 a. Tunc flexis genibus
Pro se lapidantibus
Oravit Christi levita;
Quis martyrum tantus
in hac vita?

3 b. Hic est legis glosa,
Hic caeli vernans rosa,
Thesaurus sanctificatus,
Divinitus fine
revelatus.

4 a. Credendum est,
Quod hic praeest
Sanctis cunctis Dei,
Cum hic adest
caelo primus ei.

4 b. Scimus istum
Prope Christum
Esse ante Deum;
Ergo simus
collaudantes eum.

Missale Tolosanum imp. s. l. 1490. A. — Missale Tolosanum imp. Lugduni 1524. B. — Melodie: Victimae paschali laudes.

334. De sancto Stephano.

1 a. Ecce, martyr primitivus,
In quo salit redivivus
Veri fons martyrii;

1 b. Hic athleta sternit hostes
Et cruore primus postes
Signat sanctuarii.

2 a. Cuius sanguis est caementum
Et primaevum fundamentum
Nascentis ecclesiae,

2 b. Dum a suis lapidatur,
Ipsi caelum reseratur
Et tribunal gloriae.

3 a. Inter ictus stat invictus,
Deum orat et implorat
Inimicis veniam.

3 b. Pro Saulo tunc exauditur,
Unde Paulus accersitur
Ad aeternam gloriam.

4 a. Mortes, morbos, pestes pellit,
Aspernatur et refellit
Iudaeorum iacula,

4 b. Laurentius amplexatur
Hunc, pro quo resuscitatur
Ustus in craticula.

5 a. Iesu viso dormit laetus,
Visa luce statim fretus,
Stephanus iam inclitus

5 b. Nos ex sua passione
Et tam sancta visione
Illustret divinitus.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. A. — Miss. Lugdunense imp. Lugduni 1500. B. — 3 b, 1 Pro Paulo A. — 4 a, 1 morbos hic repellit B. — 4 b, 2 Stephanum resuscitatur B. — 4 b, 3 Iustus in B. — 5 a, 2 Iussa luce A.

335. De sancto Stephano.

1 a. Laetabundus
Resultet Stephano chorus
Alleluia,

1 b. Qui post Christum
Primus mundum vicit istum;
Res miranda!

2 a. Crucis regnum docuit,
In quo primo splenduit
Sol de stella,

2 b. Christo miles iubilat,
Mundo stella rutilat
Semper clara.

3 a. Quem Iudaei rapiunt,
Eius mortem sitiunt
Pari forma,

3 b. Neque virtus vitio,
Neque mens martyrio
Fit corrupta.

4 a. Extra muros mittitur,
Lapidatus moritur
Valle nostra,

4 b. Bestiis exponitur
Nec ab illis laeditur
Carne sumpta.

5 a. Isaias cecinit,
Quod Stephanus meminit,
Nec Iudaea desinit
Esse caeca,

5 b. Si non suis vatibus
Credat vel martyribus,
Novae legis testibus,
Haec praedicta.

6 a. Caeli hierarchia
Fulget in gloria,
Quem lapidasti,
gens misera.

6 b. O martyr, propera
Et nos confoedera
Huic, quem genuit
puerpera.

Missale Metense imp. Metis 1545. — Melodie: Laetabundus.

336. In Inventione s. Stephani.

1 a. Plaude, mater sine sorde,
Tam praeclara mundo corde
Recolens sollemnia;

1 b. Iure iam prae more plaudis,
Adest namque maior laudis
Solito materia.

2 a. Adest Stephanus athleta
Cum sodalibus, qui spreta
Iudaeorum furia

2 b. Iesum Christum praedicavit
Verbo, signis confirmavit,
Dei plenus gratia.

3 a. Tandem turba perversorum,
Semper aemula bonorum,
Excutit vitalia.

3 b. Sicque Christi pugil fortis,
Levipendens poenam mortis,
Transit ad caelestia.

4 a. Sed pro turba preces fundit,
Quae se duris saxis tundit
Et pro odio confundit
Caritatis praemia.

4 b. Sic pro gente, pater care,
Te colente deprecare
Et a tuis propulsare
Cura quaeque noxia.

5 a. Sanctum ergo, quem necarunt
Feri, feris assignarunt,
Timorati sed curarunt
Hunc cum reverentia;

5 b. Cuius Nicodemus gnarus
Et Gamaliel praeclarus
Ac Abibon Deo carus
Gaudent de praesentia.

6 a. O quam large consecratur
Locus, quo contumulatur
Tot sanctorum copia,

6 b. Quorum licet quisque cultus,
Magis tamen exstat fultus
Martyr sanctimonia.

7 a. Heu, sub modio lucernae
Delitescunt hae quaternae
Per annorum spatia,

7 b. Sed fons demum omnis boni
Vult hos ad lucendum poni
Super lucernaria.

8 a. Sic opertum revelatur
Luciano; sed cunctatur
Exsequi, quod mandabatur,
Motus diffidentia;

8 b. Visione triplicata,
Mora simul increpata,
Rei tandem fide data
Paret ab instantia.

9 a. Patri Ierosolymorum
De reliquiis sanctorum
Visa refert somnia.

9 b. Praesules accersiuntur,
Margaritae mox quaeruntur
Tota cum fiducia.

10 a. Tellus autem dum saritur,
En, thesaurus invenitur
Mira refragrantia,

10 b. Qua languentes convalescunt,
Sic per sanctos percrebrescunt
Passim mirabilia.

11 a. Hinc in templo collocantur,
In quo digne venerantur
Populi frequentia.

11 b. Horum sublevemur prece
Corporis de foedi faece
Ad superna gaudia.

Grad ms. S. Mariae in Capitolio Colonien. saec. 16. in.

337. In Inventione s. Stephani.

1 a. In mundi terminis
Decantet turturis
Vox Christi gloriam,

1 b. Qui per martyrium
Sublimat Stephanum
Ad caeli patriam.

2 a. Nam primus martyrum
Scandit post Dominum
Arces aethereas

2 b. Inter micantium
Caelorum agminum
Scintillans choreas.

3 a. Iudaea regio,
Diu praesidio
Defensa Domini,

3 b. Cur prolem perimis
Eius vel ingeris
Tormenta martyri?

4 a. Gens magni nominis,
Adepta numinis
Superni foedera,

4 b. Iure damnabilis,
Pro mole criminis
Amittens aethera,

5 a. Iesu cruenta sanguine
De miti sparso latere,

5 b. Privata iaces lumine,
Cui mundi cedunt tenebrae.

6 a. Te contra princeps martyrum
Stephanus it ad proelium,

6 b. Sed primus palmam meruit,
Dum prior mori voluit.

7 a. Ergo saevit sibilans
Serpentina rabies

7 b. In quem insignierat
Angelorum species.

8 a. Stans confligit coetibus
Dira plebs odibilis,

8 b. Genu flexo precibus
Agonista nobilis.

9 a. Nam, dum sudat,
Iesus iuvat
Illum in certamine,

9 a. Quem astantem
Ut pugnantem
Iam cernit in aethere.

10 a. Post haec vincens cum gloria
Tonantis intrat gaudia,

10 b. In quo vivit sine fine
Liber a mundi crimine.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — Miss. Biterrense imp. Lugduni 1535. C. — 2 b, 3 Scintillas B. — 3 b, 3 martyrii AB. — 4 a, 1 magni generis C. — 4 b, 1 damnaberis C. — 5 a, 2 Domini sparso AB; Dimitti C. — 7 b, 1 In quem insigni erat AB (In [eum], quem insignierat; vgl. Act. 6, 15); quem in sinu erat C. — 8 a, 1 choribus AB.

338. De sancta Tancha.

1 a. Ad aeterni regis laudem
Emittamus cordis vocem,
Iubilando ac psallendo
Laudes demus summo Deo,

1 b. In electis qui triumphat
Et vicentes mundum ditat,
Ore mellifluo vocat
Et in caelis secum locat,

2 a. Viros atque feminas
Puellasque teneras
Cum supernis sociat.

2 b. De quorum sacro numero
Virginitatis titulo
Erat et collegio

3 a. Illustris, sanctissima,
Insignis sancta Tancha,
Martyriique gloria
Et suo nomine digna.

3 b. Quasi quaedam pretiosa
Dei fulget virgo pura,
Velut stella matutina
Lucet haec inter sidera.

4 a. O decus Campaniae,
Fidelium progenie
Orta, de spinis roseus
Flos procedens pulcherrimus.

4 b. O sancta Tancha splendida,
Quae sanctitatis gratia
Pertulisti immania
In corpore supplicia!

5 a. Te ad incestum flectere
Verbis nequit nec verbere
Puer saevus et impius,
Carnifex iniquissimus.

5 b. Tu triumphasti daemonem
Conservando castitatem,
Exsuperando rabiem
Vesanam et tyrannidem.

6 a. Tu viva Christi hostia,
Virgo Tancha sanctissima,
O martyr constantissima,
Electa ab infantia.

6 b. Tua nobis sit passio
Peccatorum purgatio,
Tua commemoratio
Sit mentis reparatio.

Miss. Trecense imp. Trecis 1533. — Nach 1 b, 4 folgt noch: Atque gloria coronat; entweder ist diese Zeile zu viel oder es fehlt ein Vers in Str. 1 a.

339. *De ss. Thimotheo et Apollinare.*

1 a. Ad honorem summi Dei
De triumpho Timothei
Gaudeat ecclesia;

1 b. Gaude, Remis illustrata,
Gaude, Remis exaltata,
De sancti victoria.

2 a. Per hunc lumen recepisti,
Per hunc credens reliquisti
Daemonum contagia,

2 b. Per hunc hostis triumphatur,
Per hunc a te effugatur
Daemonum perfidia.

3 a. Martyr crucem praedicabat,
Miles ducem exaltabat
Unum super omnia,

3 b. Mente fixus erat cruci,
Voto praesentatur duci
Haud segnis ad proelia.

4 a. Maurus et Appollinaris
Affirmabant pro amaris
Commutari dulcia,

4 b. Quod pro damno terrenorum
Repensaret rex caelorum
Sempiterna gaudia.

5 a. Unde multos convertebant,
Et sic pedem referebant
A cultura devia,

5 b. Sed conversi decollantur,
Decollati munerantur
In caelesti curia.

6 a. Lampadius inflammatur,
Thimotheum exsecratur
Hostilis insania;

6 b. Hic promittit et minatur,
Ille spernit et causatur
Tam laeta quam tristia.

7 a. Hunc torquere tortor audet,
Sed torqueri martyr gaudet
Ab eius iniuria;

7 b. Quanto magis hic pulsabat,
Tanto magis ille stabat
Firmus Dei gratia.

8 a. Hic Neronis caput iurat,
Ille Christi, neque curat,
Quid possint inania,

8 b. Quid Apollo, quid Diana,
Quidve Nero; cuncta vana
Plenaque fallacia.

9 a. Supra petram firmat firmam,
Non tenebit rem infirmam
Martyris constantia,

9 b. Qui divinis intendebat,
Cui sollers assistebat
Angeli praesentia.

10 a. Demum sancti carcerantur,
Carcerati revocantur
Ad mortis stipendia,

10 b. Gladiantur revocati,
Sed procedunt gladiati
Ad caeli palatia.

11 a. Ubi nec mors neque luctus,
Neque clamor neque metus,
Nec ulla miseria,

11 b. Ubi summae trinitati,
Ubi verae unitati
Laus, honor et gloria.

Miss. S. Remigii Remen. imp. Remis 1556. — 5 a, 1 corverterat. — 5 b, 2 numerantur. — 10 a, 2 renovantur.

340. De sancto Thoma.

1 a. Fidelium turma
congaudeat hodie

1 b. Celebrantes festum[1]
sancti apostoli Thomae.

2 a. Post ascensionem
Domini Iesu Christi
in caelum

2 b. Iussum est ei
evangelizare sanctum
Dei verbum.

3 a. Cum esset in Caesarea,
civitate magna,

3 b. Apparuit ei dicens
Iesus Christus haec verba:

4 a. Vade praedicare
in Indiam,
et ibi te non derelinquam.

4 b. Exinde cum corona
martyrii
venies meam ad gloriam.

5 a. Qui veniens (in) civitatem
Andronopolim
invitatus est a rege
Gundophoro,

5 b. Ut veniret ad nuptias
et pranderet
cum [rege] aliisque in
palatio.

6 a. Qui convivans cum aliis
vidit inter cetera

6 b. Quandam Hebraeam puellam
cantantem cithara:

7 a. Unus est Deus
Hebraeorum, qui creavit
maria.

7 b. Libenter sanctus
Thomas audiebat haec
cantica.

8 a. Quem intuens pincerna
percussit in faciem,

8 b. Thomas autem in eum
maledixit hunc sermonem:

9 a. In praesenti saeculo
tibi poena reddatur,

9 b. In futuro iudicio
tibi dimittatur.

10 a. Qui veniens ad fontem
invenit
quendam leonem,

10 b. Qui leo cecidit eum
et bibit
eius sanguinem.

11 a. Cumque hoc rex audivit,
cunctis convivantibus dixit:

11 b. Servus meus hac die
est devoratus a leone;

12 a. Fuit autem
maledictio super eum,
non benedictio.

12 b. Interea
cantatrix puella Hebraea
omnibus dixit:

13 a. Rogate hunc apostolum,
quem pincerna
in faciem percussit,

13 b. Et dedit maledictionem,
praestet ipse
[ut] resurrectionem.

14 a. Quo audito
Thomas apostolus dixit
ad iuvenem:

14 b. Iesus Christus
te resuscitet meam per
orationem.

15 a. Tunc resuscitato iuvene
fudit super nubentes
suam benedictionem.

15 b. Per unum annum integrum
visitavit illam
totamque regionem.

16 a. Ac deinde in una
die baptizavit
virorum novem milia

16 b. Exceptis parvulis
ac mulieribus,
sicut refert scriptura.

17 a. Postea in alia
civitate
Gath iuvenem
fratrem regis suscitavit,

17 b. Per quattuor dies
[qui] mortuus
fuerat et
[Iesu] Christo militavit.

18 a. Deinde
profectus est ad Indiam
superiorem

18 b. Ibique
coepit praedicare quoque
Misdeum regem.

19 a. Qui nolens accipere
suam sanctam
praedicationem

19 b. Contra dicebat ei,
adoraret
ut in templo solem.

20 a. Ipse autem adorabat
Dominum Deum
Iesum Christum;

20 b. Cumque cognoscerent eum
esse apostolum,
occiderunt in templum.

21 a. At ille gaudens
et gratias agens
migravit ad Christum.

21 b. Cum quo regnemus
omnes feliciter
semper in aeternum.

Grad. ms. Toletanum saec. $^{12}/_{13}$. Cod. Capit. Tolet. 35-10. — 5a, 1 civitate. — 8b, 1 eum in. — 9a, 2 praesens tibi. — 10b, 2 Leo qui. — 11b, 1 in hac die. — 19b, 1 Et contradicebat, — 19b, 2 sq. ut adoraret in.

341. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Inter templum et altare
Zachariam trucidare,
Tantum scelus iterare
Manus audet impia;

1 b. Helisaeum decalvare,
Templi super liminare
Non formidat conquassare
Patrem mactans Anglia.

2 a. Rachel redit ad lamentum,
Nam post luctum innocentum
Innocentis per tormentum
Sequitur maestitia.

2 b. Templi rubet pavimentum
Sparso sanguine cruentum;
Fel Anglorum in pigmentum
Dulcis vertit Francia.

3 a. Qui sacrabat, consecratur,
Immolator immolatur,
Mensae Christi praesentatur
Pinguis talis hostia.

3 b. Thomas victor coronatur
Et in pace gloriatur,
Nuntiata conferatur
Nobis pax et gloria.

Miss. Petragoricense imp. Petragoricae 1525. — Melodie: Verbum bonum et suave.

342. De s. Thoma Cantuariensi.

1 a. Laetos lira movet sonos,
Absit ira, laetus honos
Decet istum.

1 b. Magnus egit, quod est magnum,
Cum elegit Thomas agnum
Sequi Christum.

2 a. Dum recordor
Thomae magnalia,
Dum contemplor
eum per omnia,
Dum fide metior,

2 b. Thomas iste,
quo floret Anglia,
Thoma summo,
quo floret India,
Non est inferior.

3 a. Nullus inde
miretur sciolus,
Quod hic martyr,
quod hic apostolus
Me iungantur iudice;

3 b. Cum videret,
hic fidem distulit,
Hic se Thomas
tormentis obtulit
Fide tantum iudice.

4 a. Habent quoddam pares satis
Inter signum paritatis
Mortis suae termino,

4 b. Nam natali mediante
Die quinta post et ante
Moriuntur Domino.

5 a. Cum rideret Thomae mundus,
Erat quasi rex secundus
Vices habens regias,

5 b. Hic se tamen a mundanis
Avertebat quasi vanis
Regnaturus alias.

6 a. Digniori
potens officio
Praeminebat
regis palatio
Maior magnis,

6 b. Relegatus
idem exsilio
Debellabat
carnem cilicio
Septem annis.

7 a. Hos per annos orba flevit
Et maeroris assuevit
Cantum Cantuaria;

7 b. Eo tandem revocato,
Pacis statu reformato,
Respiravit Anglia.

8 a. Uti lima
coepit mordacius
Thomas in reditu,

8 b. Arguebat
reos intentius,
Dignos interitu.

9 a. Erat enim
primatu dignior
Anglorum maximus,

9 b. Fide gratus,
adfatu gratior,
Vita gratissimus.

10 a. Intus erat eremita,
Regularis foris vita
Praetendens canonicum,

10 b. Erat enim forma seni,
Praeter ipsum non inveni
Cucullatum clericum.

11 a. Fecit, quod docuit,
Cunctis se praebuit
Sic imitabilem,

11 b. Legi, quam protulit,
Murum se praetulit
Inexpugnabilem.

12 a. Occurrunt impii,
Malorum nuntii,
Vir videt inclitus;

12 b. Temptatur subici,
Non potest deici,
Manet interritus.

13 a. Ad altare Benedicti
Benedictum maledicti
Prosequuntur exsulem,

13 b. In tam sacra domo Dei
Vita privant iustum rei
Peccatores praesulem.

14 a. Thomas occubuit,
Sed non succubuit
Persecutioni,

14 b. Vinci non potuit,
Victor praevaluit
Anglico leoni.

15 a. In corona tantum caesus,
Praeter ibi nusquam laesus,
Hac in parte patitur;

15 b. Argumentum est coronae,
Quam das ei, Iesu bone,
Quod corona premitur.

16 a. Das coronam pro corona,
Renovatur haec persona,
Nihil habet exsulis.

16 b. Quod hic martyr coronatur,
Infinitis declaratur
In brevi miraculis.

17 a. Salve, Thoma sic salvatus,
Salutanti salutatus
Da salutis gaudia,

17 b. Placens Deo placa Deum
Tuis tuum, reddens eum
Mediante gratia.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1489. B. — 3 a, 5 indice B. — 9 b, 3 Fide gratissimus AB. — 10 b, 1 semi B. — 11 b, 1 pertulit AB. — 14 b, 3 Angelico B. — 15 a, 3 Ac in B.

343. De sancto Udalrico.

1. Laetare tanta
mater prole,
suavis Suevia,

2 a. Inter tot
natorum milia

2 b. Quae tanta
tulisti pignora;

3 a. Et tellus Alemannica,
sanctorum
corporibus fecunda,

3 b. Sacrarum virtutum nova
mereatur
proferre germina.

4 a. Hinc urbs Augusta,
praesulis corpore
Vuodalrici
valde decora,

4 b. Plebe sancta
sedulo quaeritur,
veneranda
prece beata.

5 a. Qui quondam
hac manens in vita
pii patris
impendit iura,

5 b. Hic quoque
dispensans divina,
ut non desinit
unquam humana.

6 a. Et nunc per sancta
eius merita
affluenter
cunctis manet gratia,

6 b. Cum assidue
infirmi plura
sanitatum
capiunt beneficia.

7 a. Ibi caecis
donantur lumina,
effugantur
et daemonia.

7 b. Tu nunc omnes
penitus sedula
prece die
nos hodierna

8. Christo sancto commenda.

Cod. Sangallen. 898 saec. 10. — Verfasser ist Berno von Reichenau, zwischen dessen Briefen die Sequenz steht.

344. De sancta Ursula.

1 a. Adest dies celebris,
Quo de mundi tenebris
Nova lux emicuit,

1 b. Ursula cum milibus
Undenis virginibus
Novo more floruit.

2 a. Quae laesurae nesciae,
Dono, ductu gratiae,
Mente, votis, usibus

2 b. Normae sapientiae
Haerent, regi gloriae,
Refertae virtutibus.

3 a. Puritas, virginitas,
Vitae morum veritas
Fructusque martyrii,

3 b. Fides, spes et caritas
Ducit, ubi veritas
Dat coronas praemii.

4 a. Nil in mundo praeter mundum
Iesum amant, purum, mundum,
Iam cives in aethere.

4 b. Harum homo non de terris,
Mors et vita est de caelis
Verbo, corde, opere.

5 a. Tantis virtutum meritis,
Tantis donorum praemiis,
Hostis, carnis et saeculi

5 b. Fraudis spretis illecebris,
Poenis, minis, blanditiis,
Pugna vincunt mirabili.

6 a. Sic finitur transactio,
Datur in caelis mansio,
Ut sempiterno munere

6 b. Iungantur Dei filio,
Quem tenent sine termino
Sponsum perenni foedere.

7 a. O virginalis puritas,
Quam vitae dotat dignitas,
Beat, coronat deitas;

7 b. Nos trahat vestra caritas,
Regat, perducat pietas,
Quo iugis viget claritas.

8 a. Genetrix, iure primula,
Exemplum, norma, regula
Pure, caste viventium,

8 b. Tu nos emenda regula,
Confirma prece sedula,
Da, virgo, tuum filium.

9. Christe Iesu, amor,
corona sponsae,
dulcedo virginum.

Antiph. ms. S. Martialis Lemovicen. saec. 14. Cod. Parisien. 916. — 2 a, 1 korrumpiert: Velle se nesciae Hs. — 7 a, 2 Quem.

345. De sancto Valerio.

1 a. Deo cuncti iubilemus
Et hunc diem celebremus
Speciali gloria,

1 b. Qua beatus Valerius,
Pater noster egregius,
Scandit ad caelestia.

2 a. Arcem tenens praesulatus,
Vita, mente sublimatus
Spernebat terrestria,

2 b. Deum trinum in personis
Praedicabat veris sonis,
Unum in substantia.

3 a. Huic sanctus Vincentius
Erat ut patri filius,
Dei plenus gratia,

3 b. Quem ad plenum informabant
Et non parum animabant
Literarum studia.

4 a. Bene doctus iuvenis
Sancti patris iam senis
Supplet ministeria,

4 b. Plebi magnae praedicans,
Ratione indicans,
Ne colant daemonia.

5 a. Destruuntur idola,
Plebs fit iam christicola,
Exsultat ecclesia,

5 b. Convertuntur singuli,
Tam magni quam parvuli,
Christi crescit gloria.

6 a. Tandem venit Dacianus,
Vir iniquus, vir profanus,
Praeses in Hispania,

6 b. Intrat hic Caesaraugustam,
Urbem magnam et venustam,
Et secum gens impia.

7 a. Mox perquirit servos Dei,
Qui statim sistuntur ei,
Sed non mente dubia;

7 b. Qui post multa blandimenta
Dare minatur tormenta
Dira atque gravia.

8 a. Illi minas contemnentes
Et in Christo confidentes
Exoptant supplicia,

8 b. Post Valentiam trahuntur
Et in carcerem truduntur,
Negantur cibaria.

9 a. Hos non horror carceris,
Non longa ieiunia
Frangunt clausos tenebris
Per dierum spatia.

9 b. Post dira Vincentio
Irrogat supplicia,
Sed seni Valerio
Imperat exsilia.

10 a. Ripa curta relegatus
Deo servit maceratus
Per multa ieiunia;

10 b. Ibi sanctus requievit,
Dum plus fremit et plus saevit
Gentilis saevitia,

11 a. Tandem sese revelavit
Et, quis esset, indicavit
Et sepulcrum demonstravit
Praesuli per somnia.

11 b. Ab Aneto elevatus
Et in Stada tumulatus,
Post ad Rotam transportatus
Cum ingenti gloria,

12 a. Iam a cunctis celebratur
Et devote frequentatur,
Nam captivus liberatur,
Et aeger quisque sanatur,
Fugantur daemonia.

12 b. O Valeri, pater sancte,
Mereamur te iuvante
Et pro nobis exorante
Collocari Deum ante
In caelesti curia.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 5 a, 1 Destruantur B. — 8 a, 3 *Et optant* AB. — 8 b, 2 *carcere* AB.

346. De sancta Verena.

1. Gaudentes
celebremus festum
laude colendum

2 a. Beatae virginis
Verenae,

2 b. Viam veritatis
amantis.

3 a. Quae ortu claro Thebaea
martyrium
ardenter optabat.

3 b. Italos pertransit fines
fidelibus
devote ministrans.

4 a. Tunc compatritas
Mauritium pro Christo
suosque
discens peremptos

4 b. Ad caedis locum
Agaunum venerat,
testibus
non paucis ditatum.

5 a. Daemone detenti
ac caeci
propter eam
multi curantur,

5 b. Precibus ei factis
in specu
innumera
signa fiebant.

6 a. Dux Mauritius
iuvenum flore
visitaverat
adflictam
consolatu.

6 b. Fama signorum
crescente fides
Alemannica
iam late
pullulabat.

7 a. Mater sancta
Domini, veniam
postula pro
delictis nostris

7 b. Ob istius
merita, obitu
quam visitans
digne locasti

8. Inter virtutum choros.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — 4 b, 2 Augaunum. — 7 b, 2 meritis. — Melodie: Romana.

347. De sanctis Victore et Urso.

1 a. Laetabundus
Et iucundus
Agat mundus
Gaudia;

1 b. Christi laude,
Terra, plaude,
Caeli gaude
Curia.

2 a. Hodie post labores
Victor et Ursus, flores
Vivi, fiunt victores
Cum gloria.

2 b. Fide recta praeclari
Hac die coronari
Promeruere pari
Victoria.

3 a. Iam sacri palmam rursus
Tenent Victor et Ursus,
Iam suorum
Thebaeorum
Sunt consortes,
Fide fortes
Socia.

3 b. Ut legio Thebaea
Tulit vitae tropaea,
Hi servati
Plura pati,
Poenas ferunt,
Sic tulerunt
Praemia.

4 a. Ut mundi blandimenta
Aequipendunt tormenta,
Perdunt, ne perdant,
vitam pro vita,
Sunt flagra, flammae
vinclaque trita.

4 b. Nec his nec illis laesi,
Tandem capite caesi
Capiti Christo
iunguntur ita;
Emitur bona
his margarita

5 a. Pro tuo nomine
Certantes, Domine,
In agni sanguine
Laverunt vestimenta,

5 b. Horum mens hilaris
Cantat in citharis
Cultura Caesaris
Et Hyrtaci contempta.

6 a. O Gebenna,
De gehenna
Salvet horum gratia
Te patrona,

6 b. Ossa quorum
Fers, ipsorum
Feras patrocinia,
Sumas dona.

7 a. Quorum mentes
Recolentes
Festa, Christe, libera

7 b. Et caelestis
Regni festis
Socians adnumera.

8. Amen dicant omnia
Subiuncto Alleluia.

Append. ms. post Missale Basileense imp. s. l. et a. (Cantonsbibl. Solothurn). A. — Miss. Gebennense imp. Gebennae 1491. B. — Miss. Gebennense imp. Gebennae 1498. C. — Miss. Gebennense imp. Lugduni 1521. D.
3 a, 7 Gloria C. — 4 a, 6 Vincula trita A; Vinculaque trita C. — 4 b, 1 illa C. — 6 a und b fehlen A. — Str. 8 fehlt CD; 8, 2 fehlt A.

348. De sancto Vincentio.

1 a. Sacra pangat
Atque clangat
Per orbem ecclesia

1 b. In insigni
Deo digni
Vincentis victoria.

2 a. Hic enim ab infantia
Literarum
Alma nactus studia

2 b. Divina dante gratia
Scripturarum
Fulsit eloquentia.

3 a. Vas praeclarum
Electionis

3 b. Gratiarum
Claruit donis.

4 a. Qui iussu praesulis
Iesum Christum populis
Nuntiabat;

4 b. Nam praesul Valerius
Minus expeditius
Verba dabat.

5 a. Inde praeses Dacianus
Vir crudelis, vir profanus,
Hos plectendos iudicat;

5 b. Sed athleta veritatis
Fidem sanctae trinitatis
Confidenter praedicat.

6 a. Iubet hos incarcerari,
Fame, siti cruciari,
Mox legatur,
Mancipatur
Praesul in exsilia.

6 b. Latomnatur sed levita,
Cui Christus erat vita,
Latomnatur,
Laceratur
Dira per supplicia.

7 a. Non hunc terror, non hunc minae,
Multiplices non ruinae,
Non movet eculeus,

7 b. Sitit fontem angelorum,
In procellis tormentorum
Perstat murus aeneus.

8 a. Torquetur, exuritur,
Caeditur, distenditur;
Lictor lassus deficit.

8 b. Ungulis distrahitur,
Laminis effoditur;
Suos praeses afficit.

9 a. Subdunt ferri machinae
Prunas scintillantes,

9 b. Candent cratis laminae
Sanguine vernantes.

10 a. Stridor salis vulnera
Salit per hiantia,

10 b. Rupta patent viscera;
O mira constantia!

11 a. Vulnera vulneribus
Infliguntur,
Viscera visceribus
Detrahuntur;
Tortor angit,
Martyr clangit
Et viva fit hostia.

11 b. Frendet, fervet, bacchatur
Dux ut aspis,
Gaudet, orat, laetatur
Vernans iaspis,
Quem exspectat
Et delectat
Caeli clangens curia.

12 a. Sumptus e patibulo
Truditur ergastulo,
Flos caelestis
Fit ex testis,
Nox lux facta rutilat.

12 b. Caeli phalanx intonat,
Martyr hymnis resonat,
Christum cernit,
Ducem spernit,
Laetus Deo iubilat.

13 a. Melodum melodiae
Procul praeconantur,
Pavescunt excubiae,
Rimis speculantur.

13 b. Errori renuntiant,
Claustra reserantur,
Intus signa radiant,
Plures admirantur.

14 a. Quod ut audit,
Quod sic plaudit,
Stupet, dolet zabulus;

14 b. Sed exsultat
Et resultat
Vincens Christi famulus.

15 a. Molli stratu ponitur,
Penetrat caelos spiritus
Triumphando;

15 b. Bestiis exponitur,
Corvus adest sollicitus
In servando.

16 a. Longe salo deicitur,
Ad actam regreditur,
Glareis inhumatur;

16 b. Basilica reconditur,
Sub altari reponitur,
Fons manat, gens mundatur.

17. In hoc ergo gratulemur,
In hoc Christum veneremur,
Qui nec terra, qui nec mari
Hunc permisit superari.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n. — 1 b, 1 In fehlt. — 2 a, 3 natus. — 6 b, 1 athomatur. — 6 b, 3 Lautumnatur. — 6 b, 5 Dia per. — 10 a, 1 Strido. — 11 a, 3 Vicera. — 15 b, 1 Testis exponitur. — 16 a, 3 Clareis. — 17, 1 In hunc. — 17, 2 In hunc. — Es folgte noch eine Strophe, von der nur die Worte erhalten sind: De cuius ago.

IV.

COMMUNE SANCTORUM.

349. De sanctis Apostolis.

1 a. Psalle Christo laude, prece
In apostolorum nece,
Qui plantant ecclesiam,

1 b. Nunc exemplis, nunc doctrina,
Nunc cruore; per haec trina
Praebent nobis gratiam.

2 a. Petrum, Paulum et Andream
Per Neronem et Aegeam
Roma, Patras perimit;

2 b. Qui tres gemmae sunt caelestes,
Quorum sanctitatis testes
Signa sunt eximia.

3 a. Herodes, gens pharisaea
Iacobis et in Iudaea
Binis vitam adimit,

3 b. Horum minor frater Dei,
Maior sociatur ei
Meritis et gratia,

4 a. Iohannes virgo beatus
Est in Epheso translatus
Ad Christi convivia,

4 b. Qui divina contemplatur,
Quo ex haustu alta fatur
Summae sapientiae.

5 a. Mauri trucidant Matthaeum,
Et Indi Bartholomaeum,
Et Philippum Scythia,

5 b. Thomam Indi, Iudam Persae
Simonemque; sic super se
Penetrant caelestia.

6 a. Horum prece placa natum,
Sana vulnus et reatum,
Ne labamur in peccatum,
Mater Iesu, sic placatum
Redde prece sedula.

6 b. Per hos, Iesu tolle mala,
Detur evolandi ala,
Qua volantes fide recta,
Caritate, spe perfecta
Ad aeterna gaudia.

Sequent. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1 b 49. A. — Sequent. ms. Sangallense anni 1507. Cod. Sangallen. (Brander) 546. B. — Grad. ms. S. Katharinae Divoduren. saec. 14. Cod. Vatican. s. n. (ol. 119); zweimal C und D. — 1 a, 3 plantat ecclesia CD. — 2 b, 1 Herodis B. — 1 b, 3 gratia CD. — 2 b und 3 b fehlen A; der gestörte Reim läſst spätere Einschiebung vermuten. — 3 b, 3 Meritisque gratia D. — 4 a, 1 Iohannes est relegatus A. — 4 a, 2 Dulciter post haec vocatus A. — 4 b fehlt A. — 4 b, 3 Lies Summa sapientia?

Nach Str. 5 schaltet D folgende (spätere) am Rande nachgetragene Strophe ein:

Hinc Matthiam sorte datum
Et pro Christo lapidatum
Barnabamque concrematum
Collaudemus iugiter.

Fune tractus, Marce, ducas
Nos ad illum et perducas,
Quo repletus sanctus Lucas
Obiit feliciter.

6 a fehlt A. — 6 b 2 evolandi scala A. — 6 b, 3 sq. fehlen A. — 6 b, 5 Cessetque miseria A. — Die Sequenz „*Caeli solem imitantes*“ hat mehrere Strophen mit der vorstehenden gemeinsam (s. Kehrein 266).

350. De ss. Apostolis et Evangelistis.

1 a. In caelesti hierarchia
Sonat dulcis melodia,
Psallit vox angelica,

1 b. Chorus omnium sanctorum
Laudibus apostolorum
Cantat laeta cantica.

2a. Verbum Dei incarnatum
Clamant mundo esse natum
Et probant miraculis,

2b. Idolatria turbatur,
Contra Christum inflammatur
Et armatur iaculis.

3a. O quam mira haec sophia,
O quam nova caeli via,
Vincit, qui occiditur!

3b. Roma necat Petrum cruce,
Paulum ense, et sic duce
Christo mundus vincitur.

4a. Crucifigit per Aegeam
Patras occidens Andream,
Caedit Thomam India,

4b. Iacobum, natum Alphaei,
Iacobumque Zebedaei
Et Mathiam Syria,

5a. Aethiopia Matthaeum,
India Bartholomaeum,
Et Philippum Asia,

5b. Simonem et Iudam Persa,
Barnabam Cyprus perversa,
Marcum Alexandria.

6a. Iohannes in Asia,
Lucas in Bithynia
In pace migrarunt,

6b. Uni Deo gloria,
Cuius pro victoria
Sancti triumpharunt.

7a. Et vos patres, veris bonis
Locupletes, caeli donis,
Apud thronum gratiae

7b. Intercedite pro nobis,
Ut consortes simus vobis
Coheredes gloriae.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. — 1a, 3 Psallat AB.

351. De Discipulis Domini.

1a. Iubilemus, exultemus,
Collaudantes exaltemus
Domini discipulos.

1b. Hos elegit ministros,
Verbi sui magistros
Christus post apostolos.

2a. Pontificum dignitate,
Sacerdotum sanctitate,
Levitarum ordine

2b. Ministrantes orbem lustrant,
Sacra dantes et illustrant
Verbi Dei semine.

3a. Verae viti adhaerentes,
Vivo pane convescentes
Ferunt fructus uberes,

3b. Vera docent, mira gerunt,
Mundum calcant, caelum quaerunt
Christi veri pauperes.

4a. Isti sunt Israelitae
Veri, viri sine lite,
Veram pacem praedicant,

4b. Fragrant fama, fulgent vita
Virtutibus redimita,
Verbis, signis emicant.

5a. Discipuli verberantur,
Flagellantur, lapidantur
Pro magistri nomine;

5b. Sic magistrum imitantur,
A quo tandem coronantur
In caelorum agmine.

6a. Horum veris disciplinis
Informemur et doctrinis
In hac vita dubia,

6b. Ut cum ipsis gloriemur
Et a Christo coronemur
In caelesti patria.

Missale Barcinonense imp. Lugduni 1521. A. — Missale Montis Serrati imp. s. l. et a. (in Monte Serrato 1521). B. — 2b, 2 et fehlt A. — 3a, 1 Verae veti A. — 3a, 2 Vino pane A.

352. De uno Martyre.

1. Iste martyr,

2 a. Pugnator fortis
celsi regis

2 b. Ecclesiaeque
decus matris

3 a. Per tormenta
carnificum

3 b. Scandit caeli
fastigium,

4 a. Vitae
fruens perenni lumine,

4 b. Pridem
qui fulsit in certamine.

5 a. Hinc virgo
mater ecclesia fletum
fundit piissimum

5 b. Cernens per sui
sese filioli passam
dulce supplicium,

6 a. Quae tot vicibus patitur,
quot modo suboles illius
passi coronantur;

6 b. Sed, cum arbiter omnium
in fine saeculi venerit,
tunc consolabuntur.

7 a. Noster coetus precatur,
sis fautor pro nobis
ad Deum,

7 b. Qui te iussit grassantum
proelium vincere
terrestrium,

8. Pugil caelestis.

Trop. ms. Augiense saec. 10. Cod. Bambergen. Ed V 9. — Melodie: Virgo plorans.

353. De uno Martyre.

1 a. Benedictus rex sanctorum,
Qui sacravit invictorum
Martyrum sollemnia,

1 b. In quo gaudet nubes Dei,
Qui praesentis nos diei
Perlustrat laetitia.

2 a. Iste suam tulit crucem
Vir secutus Christum ducem
In magna constantia,

2 b. Hic athleta velut gemma
Ornans regis diadema
Lucet in ecclesia.

3 a. Hic est lapis pretiosus,
Christi martyr gloriosus,
Quem non terret gladius,

3 b. Gemma rubei coloris,
Rubet intus, rubet foris
Verus ille sardius.

4 a. Rubet intus per affectum,
Rubet foris per effectum
Rosei martyrii,

4 b. Corde flagrans per amorem
Corpus offert per odorem
Veri sacrificii.

5 a. Quid est satan, quod dixisti,
Cum pro pelle docuisti
Pellem dare hominis?

5 b. Pellis pelle commutatur,
Dum pro terra quis lucratur
Caelum damno sanguinis.

6 a. Sic pro vita permansura
Vita transit peritura,
Dum vir iustus tollitur,

6 b. Sic pro pelle gloriosa
Datur pellis vitiosa,
Dum haec vita spernitur.

7 a. O beate caeli civis,
Qui post mortem vita vivis,
Quae non habet terminum,

7 b. Adclamantes tuae laudi
Voces nostras clemens audi
Et exora Dominum,

8 a. Ut peccati pulsa mole
Ac infuso vero sole
Nostris insit mentibus,

8 b. Corda nostra tollat sursum
Et post huius vitae cursum
Caeli iungat civibus.

Miss. ms. S. Elisabethae Wratislavien. saec. 15. Cod. Mus. Silesici Fol. I 83 h. — 3 b, 1 rubet. — 7 a, 3 habet fehlt. — 7 b, 1 laudis.

354. De Martyribus.

1 a. O et Alpha salutaris,
Tu nos salva, nauta maris
Et nauli remigium.

1 b. Iam in prora fluctuamus,
Sine mora peritamus,
Si desit quierium.

2 a. Rogus terris inflammatur,
Pecten serris machinatur,
Heu, tuis fidelibus,

2 b. Petra rupis lapidantur,
Caro, cutis perassantur
Terrenis in sedibus.

3 a. Fune collo suspenduntur,
More follo demerguntur
Ex Kaïn genimine,

3 b. Taetro chao recluduntur,
Fero cado perunguntur,
Christe, in tis nomine.

4 a. Diris spinis flagellantur,
Verbis, minis blasphemantur
Frenesis saevitia,

4 b. Equi pullis distrahuntur,
Sparsis ulnis discerpuntur
Nefanda malitia.

5 a. Plumbo, sale decoquuntur,
Et sic male compunguntur
Illusores veniae.

5 b. Manu, pede mutilantur,
Mortis caede cruciantur
Depravata facie.

6 a. Fortes Christi hi athletae,
Sustinentes poenas laete
Ad mortis supplicium,

6 b. Unde salus miserorum
Et medela delictorum
Assumpsit initium.

7 a. Vox audita ab altari:
Cupimus nos vindicari
De tortorum spiculo.

7 b. Rachel plorat sed turbata,
Quoniam iam est orbata
Filiorum titulo.

8 a. Iesu pie, flos Mariae,
Ierarchiae nomen scribe
Electorum in throno,

8 b. Ut cum illis in maxillis
Fusis stillis iubilemus
Angelorum patrono.

Grad. ms. S. Vincentii Wratislavien. anni 1319. Cod. Wratislavien. I F 385. — 1 b, 2 piritamus. — 3 b, 1 chaos. — 3 b, 2 chados. — 7 a, 1 ob altare. — Beachtenswert der Binnenreim, der in Str. 6 u. 7 fehlt.

355. De Martyribus.

1 a. Dulci sono melodiae
Resonemus in hac die
Laudes regi gloriae,

1 b. Cuius ope sancti viri
Meruerunt redimiri
Corona victoriae.

2 a. Hi calcata mundi vita
Pro inventa margarita
Tradiderunt corpora,

2 b. Hi de regno Pharaonis
Rubra suae passionis
Transierunt aequora.

3 a. Hi sunt pelles rubricatae
Ad ornandum coaptatae
Legis tabernaculum,

3 b. Pelles veri Salomonis,
Quibus suae mansionis
Ornat habitaculum.

4 a. Sic in templo micant isti,
Ut in horto sponsae Christi
Florent mala punica;

4 b. Isti sunt malagranata,
Qui in summo sunt locata
Sacerdotis tunica.

5 a. O felices et beati,
Iam a Christo sublimati,
Prima stola trabeati
In caelesti curia;

5 b. Nobis prece subvenite,
Ut post huius cursum vitae
Per beatum nos *Venite*
Christi vocet gratia.

Miss. ms. Wratislaviense saec. 14. Cod. Civit. Wratislavien. R 164. A. — Miss. ms. S. Mariae Magdalenae Wratislavien. saec. 14. Cod. Civit. Wratislavien. M 1121. B. — 1 b, 2 reddi miri A.

356. De Martyribus.

1 a. Iesu hospites laudemus,
Alta voce resonemus
Eorum magnalia,

1 b. Tres in hac die amoena,
Praesul, Martha, Magdalena,
Rapiunt iocalia.

2 a. Martha, soror Magdalene,
Cum ipsa laetatur plene
In caelesti gloria,

2 b. Lazarus praesul effectus
Militis est veste tectus
Christi cum victoria.

3 a. Primus miles bellicosus
Est post regem virtuosus
Protomartyr inclitus;

3 b. Illuc currit Fabianus,
Quo tendit Sebastianus,
Ut militet caelitus.

4 a. Polycarpus flammis ustus,
Valentinus non combustus
Detruncatur capite;

4 b. Tantus coetus non tepescit,
Sed Iesu amore crescit;
O fratres, attendite!

5 a. Hos Georgius rotatus,
Sed et Petrus gladiatus
Sequuntur viriliter,

5 b. Paulus et Iohannes cari
Cum Christophoro necari
Non pavent hostiliter.

6 a. Ut noscit Ephesius,
Triumphat Genesius
In diris tormentis,

6 b. Cosmas in hac acie
Dono fulget gratiae
His laureamentis.

7 a. Damianus, eius frater,
Quos simul eduxit mater,
Crucifigitur in cruce.

7 b. O martyres rutilantes,
Sitis nobis impetrantes
Gloriam a Christo duce.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 5 b, 3 militetur AB.

357. De Martyribus vel Confessoribus.

1 a. Vocis sono
Dulci tono
Collaudemus Dominum,

1 b. Qui superna
Tenens regna
Ponit mundo terminum.

2 a. Cuius virtus admiranda
Verbo fecit omnia

2 b. Fundans montes, creans fontes,
Astra rutilantia.

3 a. Saeva sedat maria
Iusta dans confinia,
Quem tremiscunt impia
Picea collegia.

3 b. Cuius sapientia
Informis materia
Nunc apparet arida,
Unda quoque liquida.

4 a. Fons totius bonitatis,
rex immense, omnisator,

4 b. Monarchiae iura tenens,
summe regum imperator.

5 a. Angelorum es creator,

5 b. Hominis quoque plasmator.

6 a. Quem decepit venenosi
fraus serpentis subdola;

6 b. Unde pulsus hoc in solo
factus est agricola.

7 a. Mortis luem pro reatu
aure hausit bibula;

7 b. Factus homo eius dira
dissolvisti vincula.

8 a. Vera sanctis in aeternum
lucis praebens gaudia,

8 b. Qui beatum Valerium,
tua fultum gratia,

9 a. Decorasti
vitae excellentia;

9 b. Mira gessit,
prava dempsit vitia.

10 a. Cuius vita tibi digna,
mors est ergo pretiosa,

10 b. Gaudet tecum coronatus
nunc in urbe gloriosa,

11 a. Cuius mira pulchritudo

11 b. Et immensa latitudo.

12 a. Ibi sonat angelorum
iugiter harmonia,

12 b. Ibi chorus senatorum
laudum solvit munia.

13 a. Duodenus ordo pius
et infantes de sub ara

13 b. Triumphantes laureati
te collaudant voce clara.

14 a. Nunc alludit
martyrum victoria,

14 b. Confessorum
fulget nunc scientia,

15 a. Et sertato capite
inter pulchra lilia

15 b. Flos agni virgineus
sequitur vestigia.

16 a. Nostra tibi, rex immense,
placeant servitia,

16 b. Et precatu huius patris
data nobis venia

17 a. Intra urbis supradictae
perducamur moenia,

17 b. Ubi vera perfruamur
cum sanctis laetitia

18 a. Summa nacti gaudia

18 b. In caelesti patria.

Grad. et Trop. ms. Toletanum saec. 12/13. Cod. Capit. Tolet. 35—10 A. — Trop. ms. Dertusense saec. 13. Cod. Capit. Dertusen. s. n. B. — Miss. ms. Valentinum anni 1417. Cod. Capit. Valent. s. n. C. — Miss. ms. Valentinum saec. 15. Cod. Capit. Valent. s. n. D. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485 E. — Brev. Caesaraugustanum imp. Venetiis 1496. F. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. G.

1a, 1 Voci B. — 1b, 2 tenet B. — 3a, 2 Iuxta B; Vasta E. — 3a, 4 Priscea BCD; Piscea F. — 4a, 1 O totius BEFG. — 4a, 2 omnis sator BEFG; omnis fehlt CD. — 5a, 1 est B. — 7a, 1 Mortis lumen CD. — 7a, 2 Aure auxit F. — 8a, 1 Vere F. — 8b, 1 beatum Stephanum A; Martinum CD. — 9b, 2 pura damnat vitia CD; prava depressit EFG. — 10a, 1 tibi vita F. — 10b, 1 sq. Nunc in urbe gloriosa manet tecum cum corona B. — 12a, 2 und 12b, 2 vertauscht B. — 12a, 2 iugis F. — 12b, 2 solvunt B. — 13b, 2 nunc fulget gloria F. — 14a, 1 Hunc allidit CD. — 15a, 1 serato B; servato CD. — 15b, 1 Flos agri F. — 16a, 2 obsequia CDEFG. — 16b, 1 Ut precatu F; huius tibi patris B. — 16b, 2 data est nobis C. — 17a, 1 Infra CD. — 17b, 1 fruantur F; Ubi vera sempiterna CD. — 17b, 2 Fruamur laetitia CD. — 18a, 1 donans gaudia BCD. — 18b, 1 fehlt CD.

358. De Confessore non pontifice.

1. Quae Deus visibiliter
Facit mirabilia,

2a. Confessorum iugiter
Vigilat custodia,

2b. Per quos mirabiliter
Operatur gratia.

3a. Lumbos cinxit stricte [iste]
Et lucernam tenuit,

3b. Pro te mundum sprevit, Christe,
Et carnem cohibuit.

4a. Hinc angustam viam vitae
Fortiter arripuit

4b. Et in vitiorum lite
Bravium obtinuit.

5a. Huius sancti per merita,
Christe, dona gaudia,

5b. Caeli quod nos ad inclita
Ducamur palatia.

Sequent. ms. saec. 15. Cod. Sublacen. CLXVIII. (Mazzatinti 171).

359. In Natali Confessorum.

1. Psallat mens nostra
inhianter digna

2a. Aeterno regi carmina,
quae nobis praeclara

2b. Tam venerandi tribuit
confessoris festa.

3a. Hic pie vivendo
commissum rexit populum
in doctrina sancta

3b. Sibique collata
iuste dispensans Domino
reddidit talenta.

4a. Praesentis vitae nexibus
absolutus
caelestia
possidet regna.

4b. Pro nobis oret servulis,
flagitamus,
mereamur
ut sempiterna

5. Intrare ad gaudia.

Trop. ms. Benedictinum saec. 12. Cod. Capit. Oscen. s. n.

360. De Virginibus.

1 a. Stellas solem comitantes,
Orbem luce perlustrantes,
Collaudemus virgines,

1 b. Sexu fragili certantes
Regnant palma triumphantes
Supra caeli cardines.

2 a. Verbis Pauli docta Thecla,
Poenas temnens atque saecla,
Poli scandit gaudia;

2 b. Ignis, ensis superatrix,
Hoste victo triumphatrix
Iubilat Caecilia.

3 a. Magos vincens Katharina,
Lux effundens, monte Sina
Iugulata conditur;

3 b. Agnes tecta stola ducis,
Maechum suscitans vi crucis,
Sequens agnum cernitur.

4 a. Agatham mamma praecisa,
Mente tamen indecisa,
Medens Petrus visitat;

4 b. Ursula fert plagas mortis,
Stat Lucia turris fortis,
Pacem migrans vocitat.

5 a. Tormenta per exquisita
Barbara cum Margarita
Dimicant in stadio;

5 b. Daemonem fugat Iustina,
Lacu trahitur Christina
Caelesti praesidio.

6 a. Eulalias Dacianus
Hispanas necat profanus
Caelibatus praemiis;

6 b. Clara degens in conclavi,
Perfragrans odore suavi,
Rutilat praeconiis.

7 a. His matronis
Tuis donis,
Iesu, proles virginis,

7 b. Fac coniunctos
Nos, disiunctos
Omni labe criminis.

Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1485. A. — Miss. Caesaraugustanum imp. Caesaraugustae 1498. B. — 2a, 2 tenens AB. — 3b, 2 Mecum suscitans in crucis AB — 4b, 1 Fert Apollonia plagas mortis; Apollonia augenscheinlich Ersatz für einen dreisilbigen Namen. — 6b, 2 Perfragans odores avi AB.

Nachtrag und Berichtigungen:

Für die Altersbestimmung des Reichenauer Tropars (Vorwort S. 6) bieten einen weiteren Anhaltspunkt die Strophen 8b u. 9 der Sequenz „Annua recolamus sancti Alberti“ (Nr. 80).

Nr. 56: 1b, 2 lies Quo danmatur.
„ 83: 1a, 1 „ Inviolata (oder Immaculata?).



Inhalts-Übersicht.

A. Real-Index.

I. De Tempore.

II. De Beata.

III. De Sanctis.

IV. Commune Sanctorum.

B. Verbal-Index.

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.






GretagMacbeth™ ColorChecker Color Rendition Chart